



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Litterae Annvae Iaponenses Anni 1591 Et 1592

Froís, Luís

Coloniae Agrippinae, 1596

VD16 F 3081

Exemplvm Epistolae Qvabacondoni ad Vireregem Indiæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-65620](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-65620)

dam animos ad nos iuandos, & è periculis liberandos excitauerit, vt Gubernatoris illius Meacensis, & Procuratoris Iacuni, & aliorum, & quod amplius, quod ipsum Iacuinum impulerit ad suscipiendum nostri patrociniũ apud Quabacondonum, & retinendam amicitia Augustini Eucnocamindoni, ac Patris eius Aicumindoni, Arimandoni, & Omurandoni, omniumq; aliorum Dominorum in Scimo. Vnde etiam si nobis malè vellet, ageretque cum dictis Dominis, vt nostros suis ditionibus exturbarent, nihilominus propter illos, ab accusatione nostrorum abstinuit. Sicut & alij non ausi sunt nos accusare, quod viderent Iacuinum ipsum ad gratiam Augustini conseruãdam non solum non infestum esse Christianis, verum etiam eorum patrociniũ suscepisse. Verum quia gratum fore Vestrae Paternitati existimo secundae epistolae responsũ à Quabacondono ad Viceregẽ datã subiungam illius exemplum.

EXEMPLVM EPISTOLAE QUABACON-
doni ad Viceregẽ Indiae.

Domine, Recepti literas, quas Dominatio Vestra è tã loginquis regionibus ad me misit, in quibus aperiendis & perlegendis visum mihi videre longitudinẽ leucarum terrarumq; Regnũ hoc Ioponiae, vt scribebas, continet amplius Sexaginta Status, vel ditiones, in quibus superioribus temporibus magnae fuerunt

run

rūt perturbationes & bella. nulla pax vel tranquillitas; multi enim impij & scelerati homines patriæ proditores in vnâ conspirarunt sententiam de neganda suo Regi obedientia. Quæ res inde ab adolescentia me vehemèter afflixit & contristauit, cæpique à longè cogitare de ratione subiugandæ huius gentis, totiufq; regni pacificandi: fundamentiq; loco tres posui virtutes, nempe comitatē, affabilitatemq; sermonis in consuetudine hominum; prudentiam consideratam in rebus iudicandis, & egregiam animi fortitudinem & præstantiam: quarum præsidio totam hanc gentem subiugauit, & omnia regna in hanc vnus Imperij formam redegei, extinctis impijs & sceleratis, promotis vero & adiutis operarijs, qui in colendis agris laborant. Atque ita restitui his regnis pacem & tranquillitatem, paucisq; annis Iaponiæ Monarchiam adeò firmaui & constabiliui, vt nunc sit instar ingentis rupis, quæ loco moueri non potest. Vnde factum est, vt in omnibus quatuor partibus regni habeant Regem multa prudentia conspicuum, & rex vicissim omnes sibi ad nutum morigeros: Atque hoc ordine & exercui, & declarauit potentiam boni Capitanei, cui hæc regna subiecta sunt, nempe, quia tollit è medio omnes sceleratos, & euellit radicitus omnes latrones terra marique grassantes. Ita fit, vt populi, familiæ, omniaque regni loca mirabili pace & quiete ruantur. Præterea omninò decreui inuadere

regnum Cinense : & intra paucos dies naues
conscendam, neque dubito me victoria poti-
turum. Vbi ergo illud occupauero, poterit V.
Dominatio facilius omnium rerum mecum ha-
bere communicationem. Quod ad Patres atti-
net, Iaponia est regnum Chamis, quem puta-
mus eundem esse cum Scin, qui est omnium re-
rum principiū. Hic Scin est substantia, ipsumq;
Esse verum omnium rerum, omnesq; res sunt
vnam & idem cum Scin, & in Scin resoluun-
tur. Qui in Scina vocatur Iutto, in Tescincu ve-
rò Buppo. In obseruatione deinde legum hu-
ius Chamis consistit tota politica gubernatio
Iaponiæ: quæ si negligitur, nullum discrimen
est inter Dominos & subditos: si verò serua-
tur, perficitur vnio & concordia, quæ debet
esse inter Patrem & filium, maritum & vxorem.
Itaque tota tam interna, quam externa guber-
natio hominum, regnorumque, sita est in con-
seruatione huius vnionis & politiæ. Iam Patres
quidem superioribus annis hæc regna ingressi
sunt, vt aliam legē ad saluandos homines præ-
dicarent: cæterum quia nos instituti & firmati
sumus in legibus Chamis, aliam nullam legem
desideramus: varietas enim opinionum & le-
gum cedit in detrimentum & præiudicium re-
gni. Quamobrem iussi Patres excedere è Iapo-
nia, eorumque legem promulgari vetui, neque
volo, vt deinceps in hoc regno nouam aliquam
Legem annuntient. Hæc licet ita se habeant,
tamen vehementer desidero, vt stabilis inter
nos

nos maneat cōmunicatio, sic enim hoc regnum terra mariq; liberum erit à prædonibus. Omnibusq; negotiatoribus merces aduehētibus potestatem facio omnia sine vllō impedimento vendendi. Rogo V. Dominationem, vt hoc idem approbet. Munera, quæ huc misisti ex istis partibus Sur, omnia recepi, sicut in literis tuis erat per scriptum. Ego quoque ex istis regnis alia quædam transmittō, cum memoriali munerum, & nominibus eorum, qui dederūt. Cætera referet Legatus: quare nec ero longior. Data vigesimo anno Tensciji, ad vigesimum quintum Septimæ Lunæ,

In fine erat sigillum, & subscriptio.

Hæc est posterior illa epistola, quam frater noster Ioannes Rodriquez sermone suo extorferat. Prior enim erat valdè, vt dixi, arrogans; vnde ipse Quabacondonus, cum iterum hanc cum illa conferret, & quia lingua Cinensi ei ignota, scripta erat, declarari cuperet, dixit: Epistola illa fuit æquo acerbior, & difficile fuisset eam offerre Viceregi, Quare Legato meritò displicuit. Quod ad hanc secundam epistolam attinet, cognouimus, multo futuram fuisse mitiorem & commodiorem, si non fuisset composita à Bonzijs legis Christianæ hostibus: & quoniam nemo aulus fuit queri apud Quabacondonum de hac re, necesse fuit nos hac epistolæ forma esse contentos. Omnes deinde miraculi loco habuere, quod epistolam iam sigillo firmatam mutasset: nam ritu Iaponiorum

·F 5 spectato,

Inspectato, moribusque Quabacondoni, id videbatur impossibile, ne diceretur, Quabacondonum coactum mutare, eò quod Legatus, parui eam fecisset. Verum Deus est mirabilis in omnibus. Quod dicitur in epistola, ipsum effecisse, ut in omnibus obedientia præstetur Regi, nomine Regis, intelligitur Dairi, qui est genuimus, & verus Dominus Iaponiæ, nunc autem tantum nomen obtinet Regis, ut aliàs scriptum est, tantamque habet auctoritatem, quantam illi concedit Quabacondonus.

Quod ad virtutes tres attinet, de quibus gloriatur, duæ tatum aliquo modo in eum conveniunt, Prudentia & fortitudo animi; at tertia affabilitas eius, talis est, ut nullus ei loqui possit, nisi se accommodet ad eius morem; neque ratio vlla potest ei afferri, nisi velit. Quod verò dicit se adiumento esse agricolis, & totum regnum pacificatum esse; verum est quidem nulla nunc esse in Iaponia prælia, sed pacem vniuersalem ob merum timorè illius; sed & illud certum est, nunquam agricolas in statu tam miserabili fuisse; nunquam etiam omnes alios homines, siue summæ siue infimæ conditionis sint, tanto seruitutis iugo oppressos fuisse, ac nunc sunt; nec vident quemadmodum extricare se ex eo possint. Verum ille nouit egregiè laudes suas prædicare & amplificare.

Scripta fuit dicta epistola in folio octo palmos longo, & quatuor lato, quâ studio curauit confici ad imitandam quadantenus chartam perga-

pergamena, qua in suis literis Vicerex vsus fuerat. Intus, foliū multis floribus aureis erat depictum, & in cululliformam cōplicatū; impostaque est epistola sacculo holoserico rubeo, auro & argento variè contexto, hic verò inclusus est pixidi more Iaponico, quæ ob pretium, & artificiū tam fuit admirabilis, vt omnibus Europæis tenuitas & excellentia operis possit esse stupori; Intus, operta erat, & foris, quadā specie Sandarachæ, quæ in Iapone dicitur Vroschi, confecta ex auro contuso, & in puluerē minuto, distincta argenteis aureisque flosculis ita ipsi Vroschi insertis, vt nemo capere possit coniunctionem, nisi qui totius pixidis structuram pernouerit, cuius species mirum quam venusta sit, & ad aspectū iucunda. Habebat deinde vtrinque aliquot rosulas, cum aureolis catenulis, encastis nigricantibus, & resticulis pixidem astringentibus. Hæc verò pixis rursus alio sacculo elegantè tecta est, & immissa in aliam pixidem, perbellam, & claustris artificiosissimis munitam.

Vnde liquet quāto honore Quabacondonus afficere voluerit Viceregē. In eadē pixide erat & alia charta, epistolæ similis, in qua descripta erant munera, quæ offerri debebant, & nomina artificū, veterumque magistrorū, qui confecerāt arma ex ferro peruetusto, quod in Iaponia magno æstimatur. Misit autē duo genera integrorum armorum arte discrepantia, quæ etiam ob tenuitatē, Europæarū lancearū ictus sustinere nō possent, tamē magni pretij fuere. Erāt
enim

enim plena rosis, floribus, & varijs animalibus aureis ad riuum ab optimis quibusq; Iaponia artificibus elaborata Quaelibet armatura habebat suam peram sericam, insertam arcæ, quales Iaponij ex humeris gestant dum eunt ad bellum. Tectæ erant hæ duæ arcæ sandaracha tam lucida, vt esset instar speculi; claustra eius erant inaurata, tam pulchrè elaborata, vt potuerint seruire conseruandis sacris Reliquijs. Adhæc misit Nanguinatam, (quod instrumentum est bellicum, simile hellebardæ, sed longiore hastili) perinde ornatam ac pixis epistolæ, sed alio genere & figurarum & artificij. Vagina quoque huius instrumenti affabrè ex auro fuit elaborata. Misit quoque ingentem bipennem, vnumque gladium, ea magnitudine, qua fere Iaponij vtuntur & minorem gladiolum, qui fit loco pugionis. Hæc dona vt erant satis elegantia & ad aspectum perpulcra, ita apud Iaponios pretiosa. Multa ex illis hic æstimantur quingentis, mille, bis, quater, & aliquando sexies mille scutatis.

Hoc fere tempore, cum Quabacondonus cogitaret de aggrediendo bello Cinensi, varios Dominos, & belli Præfectos conuocauit, quibus voluntatem suam exposuit: qui etsi in contraria essent sententia, tamen omnes, nulla obiecta difficultate, decretum eius comprobauerunt. Nam dixerat se hoc bello non abstenturum, etiamsi proprius filius ad vitam reuocatus illud deprecaretur, imò si quis ea in re moueret

ueret difficultatem, se confestim eum è medio
sublatum, Quare aliquot mensibus vbique
nihil aliud erat videre, nisi apparatus nauium,
armorum,munitionum, aliarumq; rerum ne-
cessariarū in bellū. Catalogum confecit Qua-
bacondonus omnium Dominorum, suorum
subditorum, quos voluit omnes secum bello
interesse dempto nemine, adiuncto & censo
numero eorum, quos quisq; secum adduceret.
In omnibus his regnis de Scimo nominauit
quatuor, eosq; sibi valdè addictos, quos non
sine omniū admiratione voluit esse quasi capita
omnium horum nouorum Regnorum, etiamsi
alia multo his quatuor essent potentiora. Ex
quibus, Deo ita disponente, duo fuere Christi-
ani, nempe Augustinus Ecunocamindonus,
Dominus dimidiæ partis regni Fingensis, &
Cainocami filius Quábioindoni Dominus ma-
ioris partis regni Bugensis. Ethnici verò duo
fuere, Toranosuque, Dominus alterius partis
regni Fingensis, & Augustini capitalis inimicus,
& Iconocami, Dominus alterius partis regni
Bugensis, ac inimicus eiusdem Augustini &
Cainocami. Mandauitq; Quabacondonus vt
omnes Domini Christiani de Tescimo comitē-
tur Præfectos Christianos. Fuit ibi Dominus
Protasius cum duobus milibus militum. Omu-
randus cum mille, Dominus Suscimæ gener
Augustini, qui iam erat factus Christianus. De-
inde ordinauit vt Augustinum comitarentur
Domini, Firandensis & Gotanus, qui licet gen-
tiles,

tiles,

lites, habebant tamen multos Christianos subditos. Itaque Augustinus traheret secum exercitum quindecim milium militum, praeter nautas, lixas, aliasque operas pro conuehendis impedimentis non minore numero conductas; qui in regno Corai etiam ceperunt arma, & milites facti sunt. Eidem Augustino Quabacondonus, singulari favore, primum locum dedit in impressione facienda in regnū Corai, nimirum ut ille solus cum copijs suis illud ingrederetur, ceteris Dominis expectantibus in Suscima, quæ 18. leucis abest à Corai, donec ab Augustino moneretur; Quæ res magnam apud omnes Augustino procreauit inuidiam, & dolorem, sed, ut iam dicitur, fuit Augustino valdè honorifica. Alterū præfectum Christianum Cainocamum, 3. annorum iuuenem, voluit ut comitaretur Rex Bungenfis cum sex milibus militum, ita ut cū quatuor milibus, quæ iam habebat, essent decem milia, præter nautas, aliosque, qui onera deportarent. Fuit hoc nobis, omnibusque Christianis solatio maximo. E dominis Gentilibus Quabacondonus voluit Dominum Riofogi adiuncto Foranosque venire cum octo milibus. Regem quoque Salsumæ adiuncto Iconocamo, cum totidem. Interque omnes primum locum consignauit Augustino. Reliquos milites Iaponiæ omnes suos esse comites voluit; numerus autem omnium, ut ex Catalogo descripto liquebat, erat trecentorum

torum milium hominum ; è quibus milites erant ducenties mille. Ordo autem hic præscriptus erat, vt iter institueretur per regnum Corai, quæ est quasi insula, cuius vnum caput contiguum est Cinæ, & licet separatum regnum, Cinensi tamen regi est subiectum & tributarium. Et quoniam hoc regnum vno brachio maris à Iapone auulsum est, constituit Quabacondonus regnum Corai sibi subijcere, quòd abundet commeatu, vt inde facilius trajcere possit in Cinam. Dum omnia parantur, constitutum est, vt in præcipuo portu Scimensi, qui Firando duodecim abest leucis, & dicitur Nangoia, excitaretur ingens & vastum propugnaculum ; se enim ibi velle commorari, & expectare cum tota classe, donec noua afferantur de progressu quatuor Præfectorum vel Capitaneorum. Voluit & alterum propugnaculum exstrui in Fuchinoschima, quæ alia est insula inter Nangoiam & Suscimam. Addidit tertium in Suscima, decem & octo leucarum intercapedine à Corai, vt ita transitus efficeretur commodior. Horum propugnaculorum fabricandorum curam imposuit quatuor illis belli Præfectis, cæteris verò Dominis de Scimo eorum comitibus mandauit, vt eos iuuarèt, qui omnes ita maturarunt opus, vt sex mensium spatio omnia absoluerint. Nangoianum cinctum fuit duplici muro, ex quadro lapide & pulcro, vti Meacū, latiq; & profundis vndiq; fossis. Murus interior
minor

minor cæteris erat in quadrum centum brachiorum, in cuius complexu tot domus fabricatae sunt, tum pro Dominis, eorumque socijs, tum pro officinis mercatorum, hospitem & familiarium, ut cum vijs satis amplis & rectis efficerent opidum satis bellum. Sed quod magis admiratione dignum est, Meaco Nangoiam usque quacumque transeundum erat, pro cuiusque diei itinere omnes Domini, ex Quabacondoni præscripto, è fundamentis noua & egregia palatia, in sua ditioe erexerunt, sic ut dierum viginti interuallo, quavis nocte cum omnibus suis in eiusmodi palatio pernoctaret. Et quoniam hæc fiebant, eo ipso tempore, quo parabatur expeditio in regnum Corai, tanta fuit oppressio totius Iaponiæ, ut res esset, Quabacondono interim nihil expendente, planè intolerabilis. Cæterum verbis exprimi non potest, quam prompti sint omnes in obsequio ei præstando; id quod apparet in his magnificis fabricis breui tempore excitatis, quæ in Europa non nisi multo tempore, & impensis magnis perfici possent. Interim crebro hominum sermone ferebatur, institutum Quabacondoni infelicem exitum habiturum, rem esse coactam, & fore seminarium multarum in Iapone dissensionum; nullus enim erat cui non bellum displiceret: omnesque Domini spe tenebantur, fore tandem aliquem vindicem libertatis, sed nemo inuentus est, qui primus operi manum adhibere vellet. Itaque necesse fuit omnibus,
licet

licet cum mærore & gemitu, rem prosequi. At Quabacondonus omni cura vacabat, & ad animandum suos, iactitabat se magnas facturum regnorum mutationes, ipsiſq; donaturum regnũ Corai & Cinense; Dominoq; Protasio tria regna addixit; At ille cum omnibus alijs Dominis ei quidem gratias egerunt sed tamen potius optabant particulã aliquã retinere sui status in Iapone, quam adire oĩa regna ab illo promissa.

Quoniam autem Quabacondonus promulgat se tertia Luna huius anni affuturum Nangoiã, cæperunt ex omnibus partibus Iaponiã, copiã versus has oras mouere. Hic renouatæ sunt afflictiones nostræ. Quamdiu enim Quabacondonus Meaci hæsit, poteramus in hac ditione de Scimo sine periculo versari: sed postquam cepit tendere in has partes, impossibile visum fuit, posse res nostras saluas & incolumes conseruari, & in metu non paruo eramus. Nam Domini Christiani nos commonuerant, vt quoniam Quabacõdonus tam esset vicinus, omnes qui agerent in Collegio, Domo probationis & Seminario, alio commigrarent. Et quotidie Meaco scribebatur, vt deijceremus domus, & Ecclesias Omuræ, Arimæ, & Cansaci, Patresq; Europæi reuerterent Nangasachum in habitu sæculari Lusitanorum, fratres autem Iaponij separatim se reciperent in alias atq; alias Christianorum ædes, vt hac ratione omnes manerët salui & incolumes. Verum vt hoc remedium nimis erat durũ, & difficultatibus multis

G

multis

multis obnoxium, ita parvam afferebat consolationem. Denique Pater Visitator tractans de hac re cum Ecunocamindono, Domino Protasio, & Omurandono antequam proficiscerentur in regnum Corai, inuenit eos eadem, qua prius, animi fortitudine in sententia sua perstitisse; nec aliud consulere vel permittere, quam ut Patres maneant occulti, & tantum deferant ædes Arimenses & Omuranas, in quibus Toni voluerant quosdam suos cognatos habitare. Visum etiam fuit: imminuendum esse numerum Seminariorum, ac è nonaginta manerent quinquaginta, nempe latinæ linguæ studiosi in nostris scholis. Nangasachum cum Patre Visitatore venerunt aliquot Patres & fratres, qui vocabantur Fungenses & Firadenses. Nam Pater sub nomine Legati poterat eos apertius secum retinere.

Sub hoc tempus, Quabacondonus, ut spectaculo aliquo recrearet Dominos, quos secum habebat, & simul declararet, quanta animi confidentia & quiete aggredereur expeditionem Cinensem, atque etiam famam celeberrimæ cuiusdam Venationis olim factæ à Magno Prefecto Domino Ioritono, qui totius Japonis Imperium tenuit, obscuraret; cõstituit vnam aliam omnino regiam ex varijs auium generibus instituere. Qua de causa multis magnis Dominis, alijsq; stipatus abiit in regnũ Oiarense, vbi aucupium tam fælicem habuit successum, ut capta sint plusquam triginta milia auium omnis

nis generis ; inter quas multi erant falcones. Quamuis vt plus recrearent Quabacondonum & aucupium esset solemnus, adiunctæ sint plures aliæ mortuæ volucres, quas Iapones certis condimētis vna cum plumis norunt in diuturnum tempus conseruare. Finito hoc aucupio, magno apparatu Meacum Quabacondonus reuersus est. Præibant, qui milia illa aucularum in arundinibus inauratis deferebant. Hos proximè sequebantur multi equites splendidè vestiti, portantes magnum numerum falconum, aliarumque volucrum. Post hos permulti equi eleganter ornati, freno ducebantur. Hinc subibāt duæ Coscis, vel lecticæ ornatu prænobili: post quas deportabatur Quabacondonus in lectica alterius formæ, quæ in India dicitur, Palāgia, factaque erat in Cina singulari artificio, & ei oblata à Patre Visitatore, cū ageretur de mutanda epistola prima ad Proregem scripta, quæ vehementer ei placuisse inde constat, quod in omni celebri actione, eā vtatur. Postremum locum tenuerunt innumeri Principes & Domini vario tum suo, tum equorum suorum cultu & ornatu splendidi, ad oblectandum magis Quabacondonū, qui triumphantis instar Meacum cum infinito hominum clamore plausuque ei gratulantium per vias turba ingressus est.

Cum autem iam tēpus appropinquaret, quo in Cinā nauigandū esset, primū Quabacōdonus decreuit nepotē suū Inangondonum declarare

G 2 successo-

successorem & totius Iaponiæ Dominum, vt vi-
ces suas tempore belli obiret. Mandauit itaque
vt Dairi in dictum Nepotem dignitatem trans-
ferret Quabacondoni, assumpto nomine Tai-
cusama, id est, Magni Domini. In eum autem
modum hæc trãstatio peracta est, vt etiam si ne-
poti suo cum nomine redditus maximos at-
tribuerit, ipse tamen is manserit, qui prius fue-
rat. Indicto die huius translationis, iussit adesse
omnes Iaponiæ Principes, vt obedientiam huic
nepoti promitterent. Qui magna cum pompa
adiens Dairi, vt dignitatem illam ab eo susci-
peret, donatus fuit propugnaculo Meacensi &
palatijs Quabacondoni, vt in ijs habitaret.

His peractis ad initium tertie Lunæ iter in-
gressus est per Nangoiam, cum iam mandasset,
vt Augustinus trãsiret in regnum Corai, & alij
Præfecti expectarent in Suscima. Vigesimo er-
go sexto die tertie Lunæ peruenit Nangoiam,
vbi, annumeratis cæteris Dominis, inueta sunt
ducenta hominum milia exceptis ijs, qui à Præ-
fectis quatuor ducebantur. Interim Augusti-
nus cum suis, & octingentarum nauium classe
appulsus est ad Coraiû. In cuius exercitu cæ-
teris antecelluit D. Protasius, etsi enim bis mil-
le tantum milites sibi adiunxisset, tamen armo-
rum, nauigiorumque splendore omnes in sui
admiracionem concitauit. In ingressu regni
Coraiani duo propugnacula vi expugnarunt,
in quibus Coraiani magnam fiduciam colloca-
rant, erant enim excelsis communita muris, &
robore

robore militum, & tormētis muralibus, binos palmos & dimidiatum longis, quæ globorum vice eijciebant sagittas ligneas ferro bifurcato cuspidatas fragore maximo: sed quoniam inanis ictus est huiusmodi telorum longius diiunctis, Iaponij instructi fistulis æreis, apud Coraianos ignotis, statim eos à muris abegerunt & scalis ex arundine crassa in hanc rem confectis, atque in mœnia coniectis, statim conscenderūt, & vexillum in ijs constituerunt, repugnantibus quidem Coraianis ad breue tempus, sed mox turpi fuga dilabentibus, cum 5. milia hominum ex eorum parte cecidissent, ex Augustini vero 100. duntaxat desiderati essent, quadringenti vero vulnerati. Expertus Augustinus Coraianos non posse diu impetum sustinere, deliberavit de toto onere, honoreque belli huius in se, suumque exercitum suscipiendo, & de petendo regni meditullio, ipsaque vrbe regia, non expectatis Collegis suis belli Præfectis, cui cōsilio omnes Domini, qui cū eo erant, subscripserunt. Facinus sanè audax & pænè temerarium hoc in Augustino fuit, sed prudentis & fortis animi index. Verum diuturna mora Præfectos in Suscima euentum belli expectantes ita malè habuit, vt etiam ante auditum nuncium de expugnatis propugnaculis apud amicos Augustinum, in suspicionem vocarint, de affectato honore totius prælij. Qua recognita Quabacondonus, etiam antequam Nangoiam peruenisset, ita perturbatus est, vt subi-

to mandauerit reliquis Præfedis è Suscima
 traicere. Vbi autem Quabacondonus Nango-
 iam attigisset noua accepit de duplici munitio-
 ne occupata, Augustinumque prosequendo
 victoriam pergere ad Meacum Coraianorum,
 hoc est, ad sedem regiam, eamque inuadere
 velle: quod ipse Augustinus scripserat, simul-
 que petierat, vt reliquos belli Præfectos & Do-
 minos mitteret, ad inuadendum ex omni par-
 te regnum, & munienda milite propugna-
 cula, quæ iam cæpisset, & caperet deinceps.
 Nec enim sibi satis militum esse ad locorum ex-
 pugnatorum firmam custodiam. Quo nuncio
 ita lætitijs omnibus incessit Quabacondonus,
 vt palàm affirmaret, in tota Iaponia neminem
 esse Augustino comparandum: Sed neque Na-
 bunangam, neque se vnquam cognouisse ho-
 minem tanta virtute & robore animi prædi-
 tum. Ego, inquit, sciens quibuscum, & qui-
 bus viribus bellum gererem, paulatim om-
 nem Iaponiam mihi subiugavi: At Augusti-
 nus breuissimo tempore, exiguis copijs, ausus
 est pedem inferre in regionem exteram, &
 regnum maximum Coraianum tam gloriosa
 victoria sibi subijcere. Quare, inquit, ego mul-
 tis eum donabo regnis, & faciam eum Domi-
 num Iaponiæ post me præcipuum. Addebat
 sibi videri iam à mortuis resurrexisse suum fi-
 lium, & si quis auderet res ab Augustino ge-
 stas criminari vel alleuare, se graui pæna eum
 castigaturum, nec curaturum, num ratione, an
 iniuria

iniuria id tentasset. Hoc sermone nomen & fama Augustini apud omnes ita celebrari cæpit, vt ne æmuli quidem malè de eo loqui auderent, verum etiam palam eum coram Quabaccondono collaudabant.

Regnum hoc Corai patet in longum plus minus centum leucas, in latum vero sexaginta: & licet eius incolæ natione, lingua, & robore corporis, (quod eos Chinesibus reddit formidabiles) sint distincti à Chinesibus, tamen quia tributum pendunt Regi Cinesi, & cum eius subditis agitant commercia, videntur leges, vestitum, instituta, gubernationemque Cinesium sectari. Confines sunt ex vna parte Tartaris alijsque gentibus, cum quibus nunc pacem colunt, nunc bellagerunt. Cum Chinesibus verò perpetuam habent pacem. Valèt arcu & sagitta, cæteris armis, quæ pauca, vel vitiosa habent, minus. Itaque æquari non possunt Iaponijs, quibus ob bella continua in armis exercitatio est, & natura magis sunt animosi & fortes, fistulis ferreis, lanceis, & machæris præstantibus instructi. Tantum re nauali Coraianis, atque etiam Chinesibus cedere coguntur, ob magnitudinem & robur lignorum quibus in mari vtuntur. Itaque si mari clasibus certandum esset, non dubium est, quin vtrisque inferiores essent futuri. Verum nunc, vel quia nihil cognouere de aduentu exercitus nostri, vel quia ignorarunt instrumento nauali se posse esse superiores,

vel quia Deus eos voluit punire, permisit vt
omni præsidio nauali essent destituti, nostrisq;
nullo resistente in eorū regnum descēderent.

Cum fama victoriæ Augustinianæ, notabili-
ter etiam cæpit augefcere exercitus, & nauarū
alijque innumeri, qui curam gerebant impedi-
mentorū, vt erant à pueris, in armis exerciti,
ita arma capessebant, Coraianis mancipijs suas
vices implere iussis. Tantus autem terror ad-
uentu Augustini omnibus incussus est, vt arces
& propugnacula omnia, quæ transibat, præsi-
dijs destituerentur, omnesque homines con-
tenderent in Urbem Regiā. Interea vero, dum
alij præfecti Suscima & Nāgoia depulsi cursum
tenent versus Corai, Augustinus propius urbē
regiam castra mouet; à qua cum tridui inter-
uallo tantum abesset ecce occurrunt viginti mi-
lia hominum, quos primo impetu, tribus ene-
ctis milibus, in fugam coniecit. Proximus verò
regiæ vrbi, traiecto flumine, in angustijs qui-
busdam fortiter depugnauit cū octoginta mili-
bus, è quibus octies mille cōtrucidati, alij mul-
ti aquis fluminis suffocati sunt. Hic Augustinus
dum duos dies subsistere iubet copias omnes.
vt paululū à labore respirarent; Rex Corai vi-
dens se ab hoste obsessum, atque in varias regi-
oras multos alios irruere Dominos acie infe-
sta, cogitauit statione vrbis cum suis militibus
deserta, recipere se in intimam Cinam. Quod
facile potuit per commoditatem plurimorum
equestrum, quos ibi hābebant, perficere. Secūdo
ergo

ergo vel tertio die post, Augustinus, nullo repugnante, urbem regiam ingressus est, occurrentibus, qui remanserunt cum multo comatu atque muneribus. Ita Augustinus, cum alijs Capitaneis comitibus suis factus est Dominus regiae Urbis, totumque victoriae honorem fecit suum: etiamsi enim hoc ipso tempore aduenissent reliqui praefecti, & multi e Nangoia, tamen inuenerunt omnia iam esse confecta.

Quabacondonus cognita hac secunda victoria, honorem, quantum potuit, Augustino detulit; tam multa praclare de eo, alijsque eius socijs Praefectis locutus, ut si vel vna pars ex decem promissis, eis contingeret, essent multo maiores, quam sunt, & Augustinus esset omnium in Iaponia primus. Iamque tanta est nominis eius celebritas in aula & Iapone toto, ut in omnibus circulis & compitis sermo sit de eius fortitudine & praestantia, eo quod intra viginti dies tam ingens regnum sub imperium Iaponiae subiunxerit. Omnes autem Domini eum praedicant beatum attoniti ob existimationem nominis immortalem, hoc facinore partam, & Quabacondonus subito ad eum, ut Victorem & Domitorem Coraianorum misit ei honoris loco machaeram ancipitem, & equum, quod apud Iapones summi honoris Symbolum est; atque hoc ipsum Nabunanga olim munus misit Quabacondono, si quando in praelio regnum aliquod expugnaret aduersus Morindonum. Atque ex hoc euentu non modo à Christianis, ve-

rum etiam ab ipsis Ethnicis, cognita est Dei Christianorum potentia, & erga suos prouidentia, nempe quod flagrante tanta persecutione, suæ diuinæ maiestati placuit victoriam, totiusque belli istius gloriam in Dominos Christianos transferre. Quare non dubitamus eos potentiores & illustriores fore, quam vnquam fuerint.

Hinc factum est, vt nauis Cinensis in Iaponia hibernarit; qua occasione præsentia Patris Visitatoris non solum nobis magnum solatium attulit, sed & omnibus Christianis, qui per tot hominum discessum, in bellum cum Quabacondono eiusque Præfectis profectorum, prorsus se desertos fore putabāt, si Pater Visitator, in quo omnem fiduciam locarant, non remansisset. Sed apparuit sane singularis in nos dei prouidentia, & amor, quod præter morem uoluerit nauem in Iaponia hyemare. Nam, cum Quabacondonus parta illa victoria constituisset reuerti in Scimo, stabant omnes quieti & tuti sub eiusdem Patris tutela; qui ubi intellexit eum Nangoiam ingressum curauit eum per Ioannem Rodriquez fratrem, & nauis Lusitanæ Præfectum salutari. Vt enim id faceret, Meaco scripserant Christiani qui in locum eorum, qui profecti sunt in Corai, successerant.

Fuitque gratū Quabacondono, videre Capitaneum maiore Lusitanorum, tot stipatum Lusitanis

sitanis splendide vestitis, totq; nauigijs instructum venientem cum fratre Ioanne Rodriquez: petijtque à fratre, vt valeret Pater Visitator? Num placuissent munera ad Viceregem missa? addiditq; sibi placere, quod Pater remanserit, debereque ipsum fratrem cum illo manere. Rescribens postea ad Patrem, in responsione magnum fauorem declarauit erga nauis Capitaneum. Denique cum eum per horas duas familiariter detinuisset, cum magnis beneuolentiae signis dimisit. Post reditum Capitanei frater Rodriquez plus vnum mensem absens, rursus saepius alloqui cepit Quabacondonum, à quo semper beneuolè exceptus est. Postea ob inualetudinem redijt Nangasachum; quare cognita Quabacondonus, sciscitatus est, quare non ibi, vbi ipse degeret, fuisset curatus? Respondit Iacuinus, eum, cum externus sit, opus habere alijs cibis & medicamentis, quã ibi haberi possint, & acquieuit. Ita factum est, vt per colloquia crebra, quæ ratione legationis habebantur, Quabacondonus indies humanior & affabilior euaserit. Nectamen desideratae nouae occasiones turbarum & afflictionum, quod certo constaret Quabacondonum dixisse, si felix esset exitus belli Cinensis, se mutaturum status, & Principibus Christianis assignaturum Coraianum & Cinense regnum, gentilibus dominis in ditiones Iaponiae eorum loco substitutis; Quæ sane res cederet in ruinam & exitium totius Christianismi, nec enim Christiani

vllum

vllum locum haberent, in quem sese reciperent. Et quamuis Augustinus iam P. Visitorem certiorē reddidisset, de permutatione statuum; Iacuinus vero Augustino scripsisset Quabacondonum prorsus statuisse permutare Statum Scimo, & consequenter Statum Augustini, Arimensem & Omuranum; idemque significatum esset Arimandono, & Omurandono, tamen Deus O. M. misericordiae suae oculis dignatus est respicere orationes seruatorum suorum fidelium, qui eam ob rem in summo luctu & lacrymis iacebant, & subministrare hoc remedium. Coraiani, vbi animaduenterunt regem suum cum abstractis copijs esse in tuto, maximam partē, quanto poterant com meatu secum sublato, in montes & syluas se abdidere, tantoque odio & indignatione in Iaponios exarsere, vt ne promisso quidem saluo conductu ex latibulis istis elici potuerint. Itaque Iaponij licet propugnacula aliaque loca munita in sua habeant potestate, tamen quia desunt eis homines, qui terram colant, & alia necessaria ad vitam suppeditent, necesse est omnia retro sublapsa referri. Adhuc viā publicā ita obsidetur à praedonibus, & alijs, vt nisi Iaponij simul omnes in viam se dent, ex improviso, globo Coraianorum è syluis erumpentium obruantur. Praeterea magno numero Coraiani se receperunt in vicinas insulas, vnde multis ijsque grandibus nauibus, in nostras paruas & debiles, cum magno Iaponiorum damno, impetum faciunt, & mul-

tas

tas hæc hactenus demerferunt. Quamobrem omnes Domini qui degunt in Corai scripserunt Quabacondono, necessarium esse, vt exercitus ad aliquod tempus non se loco moueat; ob pericula, quæ progrediendo longius, adirentur. His nouis, Quabacondonus, etiamsi iam paratus esset ad iter Coraianum ad instituendam regni diuisionem, à proposito reuocatus est, & beneuolentiæ plenas literas ad omnes dedit, iussitque vt essent securi, se intra triennium nihil acturum de mutatione statuum. Itaque magno animi angore liberati sunt. Nam etsi non magna spes figenda sit in eius verbis, tamen cõfidimus eum saltem hoc anno nihil attentaturum. Quid postea futurum sit, solus Deus scit. E Iaponijs in Corai nunc versantur plures ducentis milibus, qui mandato Quabacondoni per totum regnum sunt distributi. Augustinus agit in extremis oris Cinarum, sed quia maximo flumine tres leucas lato auulsæ sunt à regno Coraiano, & magnis abundant nauibus, & littora innumerabili hominum turba communierunt, successus belli prorsus anceps relinquitur & dubius. Neque scimus, an hoc anno Iaponij longius progressuri sint.

Hoc temporum statu cum Quabacondonus declarasset, se non profecturum in regnum Corai, nisi tertia luna sequentis anni, voluit semel redire Meacum, dum autem est in prociectu, Tonus quidam in regno Sassumæ impatiens tyrannidis tentare voluit fortunam in
hunc

hunc modum. Ingressus est cum suis regnum Fingense, & publicavit mandato regis Salsumani sebellum mouere; omnes Dominos Iaponia in Quabacondonum coniurasse. Re intellecta, vt omnes tam erant rerum nouarum cupidi, multi Agricolaë fingenses se ei adiunxerunt, & subito munitiones Augustini & Taranosuche, putantes eas ab omni praesidio desertas, inuasere. Sed qui intus erant abditi milites, omnes ad vnum cum suo Tono ingressos contrucidarunt. Et hæc rebellio, quia nulla coniuratione aliorum capitum nitebatur, cum morte Toni extincta est. Quabacondonus verò Fingum mox mandauit Acanodangium cum magna militum manu, vt reos castigaret; inter quos vnus fuit Tonus Christianus Insularum Amacusæ, dictus Comotondonus; qui, vti facile credidit, & proprius Salsumam mouit, vt negotium, parum sanè prudenter, vrgeret: ita in discrimen vitæ omnes illarum Insularum Christianos vocauit, & nos quoque in summam detrusit afflictionem, timentes ne harum insularum Dominos Quabacondonus loco moueret, in quibus magna nostrorum pars versatur. Verum Pater Visitator confestim obuiam ist periculo, impetrando, vt Georgius Giansengindonus, qui Fingi vices gerebat Augustini, hoc negotium componeret cum Acanodangio, vtque dictus Tonus Christianus in aliam ditionem se reciperet, suis terris Augustino

stino relictis, vt sic remaneret cuidam eius filio, qui in Corai mærebat Augustino. Et vt Georgius iste pius est & ardens Christianus, promptè voluntati Patris est obsecutus, & Insulæ illæ nobiscum ab impendente hac calamitate liberatæ fuerunt. Post hæc Quabacondonus morari voluit Nangoiæ, quod nobis non fuit incommodum, & non leuem attulit consolationem.

Hoc ipso tempore Deus quoque nos non parum recreauit prosperis successibus Iusti Vcondoni, qui, vt alias scriptum est, eadem de causa, eodemque die nobiscum exulare iussus est, etiam si ante triennium opera fratris Quabacondoni anno præterito defuncti, licentiam obtinuerat in quacunque Iaponiæ parte viuendi, modò in quinque regnis, dictis Guochinai, Meaco finitimis, nec sedem figeret, nec militarem rem tractaret. Quare Fascibu Chicofandonus trium regnorum Dominus, recepit eum in regnum suum Canganum, viginti sex fascibus orizæ ei attributis, adiuncto augmento hoc anno sex milium. Hic postea cum eodem Domino in bellum Cantanum profectus, tam præclarè se gessit, tamq; egregia edidit facinora, vt Quabacondonus certior factus, non potuerit non eius laudes prædicare, & quamuis indicasset se nolle hominem etiam post tantas res gestas in suū conspectum venire aut pristino statui, restituere aut eius opera & industria uti; tamen cum aliquando sermo de Iusto

Iusto

Iusto in eius praesentia incidisset, mandauit ut in conspectum suum adduceretur, & in gratiam reciperetur, & cum ille ea de causa contulisset se Meacum, iussit eum venire huc in Scimo, ut videri posset. Denique per id tempus quo commoratus est Nangoia, in conspectum admissus est, quod in Iaponia signum est reconciliationis, eumque paucis verbis humanitate plenis est allocutus. Duobus autem diebus post inuitauit eum ad Sucianoiu, id est, ad certum bibendi ritum, qui tantum visitatus est, cum magnis, & valde intimis Dominis: quod omnes testati sunt fuisse summi fauoris argumentum. Et licet adhuc nihil actum sit de assignando illi aliquo Statu & dignitate, tamen magnam attulit omnibus voluptatem sola eius reconciliatio. nunc enim ei copia facta est, ubicumque locorum degendi, atque etiam familiariter cum Quabacondono tractandi. In hac felicitate sua, ipse nihilominus tam pius est & religiosus, ut scripserit P. Visitatori, se maiore cupiditate teneri agenda vitae priuatae & a turbis remotae, quam aulicae, & si posset, omne onus gubernationis in humeros non resumere: Sed propter coniugem, liberos & cognatos, huic desiderio satisfacere non potuit, id tamen illum magnopere solabatur, quod diuina gratia omni periculo & afflictione liberatus esset.

Aliud quoque solatium Deus attulit nobis, nouo quodam prodigio, vel potius miraculo S. Crucis recens in ditioe D. Sancij Omurandoni

doni patefactæ, ea forma & modo, quo apparere ante biennium in ditione Arimensi, non sine stupore omnium: Idque eo maius est, quod quo tempore Quabacondonus in hoc Scimo erat venturus, & nos omnes cum populo Christiano in summo luctu, ob sublatas cruces, & primarias domos à Patribus desertas, eramus, hoc miraculum in apertam lucem cum immenso nostro gaudio, omniumque Christianorum in sua fide eximia confirmatione, productum fuerit. Septimo igitur Februarij huius anni 1592. die Veneris, in opidulo dicto Fucundo, tribus passum milibus hinc disuncto, Christianus quidam Ecclesiæ vicinus, nomine Mathias mandavit filio suo Simoni, vt arborem quandam alioquin fructiferam, quod toto biennio nullos fructus reddidisset, & exarescere cœpisset, amputaret. Nomen arbori est, chachinochi, quæ producere solet fructus rotundos non absimiles pomis, qui instar nostrarum ficuum in totum annum sicci conseruantur, suntque excellentes & communes, edunturque virides, maturi & aridi. Cû ergo dictus Simon hanc arborem in diuersas partes, ad conficienda ligna, secaret, diffissus est arboris truncus, & ex vtraque ligni parte, prorsus vt contigit in prouincia Arimensi, quatuor cruces patefactæ sunt; binæ seorsim, vna alteri, maior minori incumbens, cum suis brachijs, titulo, & pedibus, affabrè factæ, & coloris atrii, cum tamè lignum arboris esset valdè candidum.

H

Inuen-

Inuentum hoc non fuisse humanum ab omnibus agnitum est, tum propter coniunctionem vtriusque partis ligni, quando coagmetantur, tum quia ater color aliud lignū penetravit ad crassitudinem vnus Realis. Mox vbi prodigium hoc apparuit, accurrerūt multi Christiani, & certiore Patrē Visitatorem, qui animarum illius ditionis curam gerebat, reddidere. Is Patrem alium eō amādavit, qui facta diligenti inquisitione; deprehēdit rem ita se habere, vt rumore ferebatur. Cumque Christiani omnes maiorem in modum cuperent venerari dictas cruces, & festiuo ritu adorare; visum est Patrī ad cauēdos rumores, & concursationē populi, in loco decenti cruces esse recondēdas, tātūmq; ostendendas Lusitanis, & D. Sancio Omurandono, qui ad eā adorādā cum multis suis equitibus venerat; qui incredibili lātitia animi gestierunt in earum aspectu, dicentes: Dominum Deum sanctis istis crucibus, nouum planē sibi indidisse animum, & imprimis, quōd placuisset ei, non minus honorare suā ditionis Christianos, quam ante annos duos in regno Arimensi simili apparitione honorasset. Repositæ sunt ambæ partes, vt inuentæ sunt, in thecam Reliquariam, donec adiuuante diuina gratia, tum hæ, tum illæ cruces Arimenses congruenti solemnitate honorentur & celebrētur. Similiter cæteri omnes Christiani per Iaponiam dispersi, ex hoc prodigio & mirum in modū animantur, & planē coniecturam faciunt, & firmam fiduciam

fiduciam concipiunt, cum Deus hoc ipso tempore Quabacodonianæ persecutiones illas SS. Cruces patefecerit, fore ut eo magis exaltetur Crux Christi, & per totam Iaponiam colatur, ac imprimis ut ditiones illæ, in quibus repertæ sunt, Arimensis & Omurana, etiam si nunc maximè obnoxia sint periculo persecutionis, beneficio crucis factæ tectæ conseruentur. Unde ex toto harum litterarum decursu liquet, nouellam hanc Ecclesiam similem fuisse his annis. Naui magnis tempestatibus agitata, quæ nunc secundum proram ita in undas demergitur, atque si à fluctibus absorbeatur; nunc rursus celsis supereminet undis, atque ita iter sanctæ Crucis, quam per Iaponiam prædicamus, prosequimur. Harum sanctarum crucum effigiem ad Paternitatē Vestrā mittimus. Et quamuis in diuisione ligni particula brachij vnus crucis diuisa effecerit, ut proportionem suam non seruarint, tamen adhibita diligentia inuenta tandem est in manibus cuiusdam Christiani, qui eam, cum omnes reliquias arboris in terra relictas colligeret, sustulerat, quam cum P. suo loco restitui iussisset, euasit crux cum suo brachio bella & perfecta.

Nō parū etiā nouelli Christiani in fide cōfirmantur, miris quibusdā operibus, quæ Deus inter ipsos operari subinde dignatur, ut dū beneficio votorū, pænitentiarū, & orationum, quas faciūt, à varijs morbis liberantur. Et ut ex varijs Patrum epistolis cognouimus multi ægri so-

lo potu aquæ benedictæ, ad quâ, peculiarè semper Iaponij affectionem habuere, varias infirmitates depulere. Alij deportati ad tēplū & S. Crucis pedes, dicta Dominica oratione, alijsue præstitis pietatis operibus cū vera fide, sanitati restituntur. Nonnunquam etiâ contigit vt gētiles ex Christianorum institutione eidem remedijs vsi, salutem corporis subito recuperarint, & mox etiam animi, dum cum tota familia ad Christum conuertuntur. Alij etiam nuncupatione votorum, quicquid petiuere, obtinuerunt. Denique Ethnici, cum vident energumēnos (qui in Iaponia, non desunt) solo medio reliquiarum, exorcismorum, & orationū siue à Patribus, siue ab alijs Christianis liberari, plurimum commouentur vt veritatem religionis Christianæ intelligāt, & Baptismo suscepto, sequantur.

In insula Sichi accidit incendi domum cuiusdam antiqui Christiani, qui in Oratorio suo affixam habebat imaginē Beatiss. Virg. cū puero Iesu, & vt erat domus lignea, cooperta straminibus, de nocte ab inimico inflammata, tanta ignis vehementia conflagrauit, vt vix homines flammam euaserint, cumque omnia redacta essent in cineres, dum Dominus domus locum accommodat ad nouam domum excitandam, ecce in medio cinerum inuenit tabulam integram cum omnibus suis ornamentis, & fumo tantum aliquantulum tinctam. Quo casu tanta consolatione homo ille affectus est vt statim cum

cum imagine dederit se in viam ad quæredum Patrem, & corroboratus in fide, plus beneficio huius miraculi lucratus est, quam amiserat domus conflagratione.

Vetula quædam in prouincia Arimensi, cum haberet filiam grauiter affectam, totâ noctem consumpsit ante imaginem Saluatoris, in orando Deo pro eius salute: filia verò cum eodem tempore, oraret ante imaginem sanctissimæ Matris, quam habebat affixâ in capite lecti, visa est ei imago è loco, in quo erat, discedere, & se prosternere in ipsius pectus: vnde cum maximam caperet consolationem, deprehenderetque se morbi angoribus liberam, mox cæpit iuclamare matrem, eique rem totam percensuit: manè autem tota sana surrexit. Ambæ deinde peregrinatum ierunt ad Ecclesiam Scimambaranam, omniaque narrarunt Patri, qui ad nos hoc exemplum describens, in eadem epistola addidit, multos ægros, vi aquæ benedictæ sanitati restitutos: atque etiam Euangelij sancti recitatione, quod speciatim contigit duobus puerulis, qui cum essent in agone, eosque mater multis lacrymis Deo commendaret, & Pater, eius rogatu Euangelium recitaret, & pro illis oraret, ambo secundum fidem eius sanati sunt; ipsaque met confessa est, eos non nisi supernaturaliter, virtute S. Euangelij sanatos. Alia fuit, quæ Christiana quidem erat, sed more Ethnicarum multis precibus fatigabat idola Chamis & Fotoques, aliisque superstitionibus. Erat addicta hæc

in infirmitate memor aquæ piacularis, vehemēter petijt eā sibi suppeditari: eamq; magna fiducia bibit, cum firmo proposito, si reualesceret, instituendi vitam Christiana fœmina dignam; Dominus Deus eam exaudiit: cōualuit, viuit Christianè, & constanter in sancta fide.

Ethnicus quidā è regno Bungenfi (is qui suis calumnijs apud regē causam dedit mortis sancti Ioran, & persecutionis excitatæ in Christianos) decubuit tetro quodam morbo, quo os & lingua eius computrescebant, & tandē excidebant, quo & infeliciter extinctus est. Hęc mortem omnes Christiani attribuerunt vindictæ diuinæ, in eū propter mendacia & conuitia in Christianos petulanter iactata grassantis, & in sua religione non parum sunt confirmati.

Alius Ethnicus, cui rex Bungenfis assignarat aream, in qua Ecclesia nostra fuerat, cum vellet ibi ædificare, monitus est à quibusdam, videret quid ageret, stetisse eo loci Ecclesiā, nō immunē fore ab ultione diuina. Ille nihilominus, cōtēpto cōsilio, domū excitauit: Sed vbi eā incolete cepit, breuissimo tēpore quinq; homines in ea decesserūt: quo euētū perterrefactus, alio cōmigravit. Sed paulo post, veritus ne ob animi abiectiōnē à gētilibus haberetur ludibrio in eā repedauit: & paucis post diebus certa quadam orta cōtentione primogenitus eius filius iugulatus est. Sic malo suo sapiētior redditus, tandē prorsus domū deseruit. Cui alius gentilis, volēs experiri fortunā, nō multò post, successit, sed in

tra

tra paucos dies lepra percussus est. Quare deinceps vacua omnino remansit, nullū inueniens habitatorem: hocq; exēplo didicere Christiani, in quanto honore deinceps tēpla habēda sūt.

In Tacata Bungēsis regni, erat eques Ethnicus Camōdonus, valde deditus cultui idolorū Chamis & Fotoques, domumq; refertā habebat idolorū statuis, multā autē pecuniā erogabat in pauperes: huic Dæmō suo modo fauere cæpit, nēpe obsidendo aliquot, & occidēdo vxorem, duos filios & aliquot alios in domo eius, at miser ille, nō cessabat ab eorū cultu, vt iratos Deos placaret. Aliā vxorē duxit, sororē cuiusdā Christiani, nomine Andree; Dæmon redit, mactat tres eius fæminas seruas, vxorē affigit pessimè, indies magis magisq; languescentem. Viuebat enim tota q. attonita & perterrefacta terriculamētis & spectris, quæ Dæmō ei obiebat. Hic ergo agēs cū consanguineo suo Ethnico, admodum querebatur de suo Chamis & Fotoques, quod quo studiosius eū coleret, hoc peius ab eo remuneraretur. Qui respōdit, se intellexisse, Lucam Christianū Tacatēsem habere efficacia remedia, pro ijs, qui à spiritibus diuexantur; suavitque vt de ea re loqueretur cognato suo Andree, qui remediū facile possit à Luca impetrare. Cū ambo iuissent, Lucas eis dedit thecā reliquiariā, cōmēdauitq; Andree, vt collo infirmæ appenderet, & pro ea simul oraret. Ingressi domum, Ethnicus ille petiuit thecam experiendi causa adhiberi seruæ obsessæ; vbi adhibita est,

mox dæmon ab ea recessit, & sana facta est. Hæc vim inesse reliquijs videns Camondonus, thecam quoque appendit collo suæ coniugis, & subito sanitati restituta est. Quo miraculo commoti non dubitarunt se aggregare Christiano cætui, & ab eodem Luca, post auditos aliquot sermones Catechisticos, ambo cum tota familia sanctissimis baptismi aquis è faucibus Dæmonis vindicati sunt. Et Camondonus mox Vulcanico luculento tradidit omnia idola, & chartas superstitiosas, coniuxq; eius ita piè affecta fuit erga thecam reliquiarû sacrarum, vt Domino reddere noluerit. Postea hæc ipsa fæmina, cum aliquando eandem thecam applicuisset tatum cuidam seruæ energumænæ, non tamen è manibus dimisisset, dæmón cõfestim fugam capessuit. Paulus verò Camõdonus non multo post Bungum ad salutandos Patres abiit, quibus, vt & alijs Christianis totam hæc historiam recensuit, & deinceps valdè firmus in fide permansit.

In eodè regno Bungenti erat quidam Eques honoratus & senex, optimi Regis Frãcisci olim Secretarius, quem Rex multis rationibus vix tãdem inducere potuit ad complectendã Christi religionem: & baptismum recepit potius Regi placendi necessitate, quam pia sua voluntate: Vnde post mortem Regis, inchoata iam persecutione redijt ad gẽtilios suos ritus, orationeq; & elemosynis conciliauit suum Chamis & Fetiques Sed vnica filia eius Christiana in ligni pietate fæmina continèter instare capit

vt resipisceret, nec finem precādi, licet ille molestissimè ferret, faciebat, Deoque illum commendandi. Cum vero idem senex peregrinationis causa postea, se cōferret Meacum, vt religione voti, idolo Chamis & Fotoques facti, se solueret, noctuque indicem rerum, quas facere deberet, annotaret, apparuit illi magno cum splendore beatissima Virgo Maria, & quasi impos mentis factus est: & famulirem notantes existimarunt eum humani aliquid passum sed ille colligens sese rursus eandem conspexit, & mox euauit: ipse autem vehementer se sensit commotum & turbatum. Quare confugit ad preces, commendat se Deo, supplicat humiliter, si visum sit verum & salutare, vt dignetur illud confirmare, & suam voluntatem declarare. Nocte insequenti candela iuxta eum accesa rursus eadem specie Beata Virgo homini se visendam obtulit, & tunc sensit cor suū emolliari, in eoq; accendi desiderium vitæ secundum Christianas leges instituendæ, & rem totam filia patefecit, quæ summo affecta solatio, cepit eum cohortari ad faciendam Confessionem Patribus, qui iam Bungum peruenerant: persuasit quoque vt totam hebdomadam in ieiunio traduceret, simulque orationi & penitentia vacaret: Ante abitum, adhuc ieiunis, capere filia & famulis eius varia offerri visa, nunc speciem B. Virginis, nunc Christi Domini vel angelireuerentia, idque continenter per multos dies: sic vt re sermonibus diuulgata, multi partim

tim

tim Christiani, partim gētiles eo confluxerint, vt visionibus illis fruerentur. Patres animadnertentes alienum esse à consuetudine Dei, visa eiusmodi omnibus reddere conspicua, cæperunt de rei veritate addubitare, nec indagare poterant rationem cur tam crebro, & tam continenter ista apparerēt. Quicquid sit, Senex ille seridè conuersus est, crimina sacerdoti detexit, pænitentiam fecit, exemploq; suo multorum Christianorum animos erexit, qui æstu persecutionis penè exaruerant, & multo magis bonos constabiliuit; ac plurimis autor fuit, vt deserto Ethnicismo, ad Deum eiusque matrem conuolarent. Ac Dominus Deus, qui recentes hos Christianos, & gētiles tractat more infantium, ex his apparitionibus magnū collegit fructū, vt dictū est. Nā vno anno post hoc visum Bungi baptismi aquis lustrati sunt plures mille quingentis gentilibus, & duplo plures, qui lapsi erant in pedes erecti ac denique omnes Christiani fortiores & firmiores in fide euaserunt.

In quodā loco Arimæ, dicto Mie sexagenaria anus pertinax, cæteris omnibus iā ad Christum ibidem conuersis, cum nollet baptizari, obsessa est à Satana; dictisq; suis & factis horrificis cognatos suos valde affixit, quid facerent? obnixè rogabant eam, si quādo ad mentem redibat, vt Christiana fieret; nec frustra. Nā semel magna contentione expetebat baptismum, dū autem quidam abeunt vocatum Patrem, Dæmon solito grauius eam torquere cæpit, vt non longè

longè videretur abesse à morte. Cum autè Pat-
ter iam præsto esset, nec putaret prorogandum
baptismum, eo ipso tēporis puncto conclusum
est esse baptizandā: diuinaque adiuuante gra-
tia non solum ipsa mox sibi reddita est post
tactas vndas, verum etiam immundus spiritus
ab ea recessit, & paucis post diebus vnà cum
consanguineis magna deuotione ad visitan-
dam Ecclesiam, agendasque Deo gratias con-
cessit.

Multa alia de varijs Energumenis scripserant
Patres, quæ breuitatis causa omitto. Id con-
stat, permultos ex ijs, qui se Christianæ religio-
ni aggregarunt, occasione energumenorū pri-
mum ad conuersionem permotos fuisse, cū co-
ram viderent eos beneficio catechismi, reliqui-
arum, & precationum, à Christianis à tam tetra
bestia liberari.

His operibus, alijsque pietatis exercitijs, quæ
diuina bonitas hoc tempore suggerit suis fide-
libus, etiam si Patres delitescant, nec tantum
præstare queant, quantum vellent, mirum in
modum proficit & augetur Christianæ religio-
nis status, videturque Deus colligatas retinere
manus Quabacondoni. Nam etsi neque in fidei
propagationem, neq; in Patrum restitutionem
consentire velit, tamen crescit in dies, & Chri-
stianorum deuotio, & Ethnicorum conuersio,
& Patres remanent in Iaponia cū Collegijs, Se-
minarijs, Domibusq; de quo nō modo Gētiles,
sed etiā Christiani obstupescunt. Verū tot fiunt
pæni-

penitentiae, & disciplinae usque ad profusionem sanguinis, ut mirum non sit illas, cum meritis & sanguine Christi redemptoris nostri coniunctas tam salutare effectus producere. Certe si Europaei oculis usurparet diuersiones, quae sunt in his regionibus, non dubium, quin starent attoniti. Multis enim in locis, ne femina quidem est, quavis nobilis, nullus eques, licet primarius, qui non aut palam aut secreto disciplinam crebrius faciant usque ad sanguinem. Quod ut particulatim magis intelligatur capita aliquot adiungam, ex literis diuersorum Patrum collecta. In epistola cuiusdam Patris data Arie, sunt haec verba. Quadragesima tantus fuit deuotionis ardor, ut quotidie viginti vel triginta per vias publicas se ad sanguinem affligerent. Die autem Veneris erat plures centum. Omitto eos qui absoluta Concione de Passione, post salutationem Angelicam in se desuiebant, quorum muneris iniri non potest. Nam tunc neque senes licet iam de uexa aetate, neque feminae, quantumuis illustres & vetulae, nec pueri sibi pepercerunt, maculas suas leues proprio sanguine diluentes. Et est inter hos vir octogennarius, qui quotidie disciplinae aculeo configit se cruci.

Alius Pater Scimambara in hunc modum scribit. Per Quadragesimam etsi nos delitesceremus tam crebrae erant flagellationes usque ad profusionem sanguinis, ut necesse fuerit eas temperare, decretumque est, ut tantum fierent noctu,

noctu, maximè Scimambaræ, quò multi Ethnici aliunde confluere solent.

Alius Arima ita scribit. Inuenio multos Christianos, è primarijs, qui Arimæ degūt, qui expositavitæ suæ ratione, mihi affirmarunt se, à tēpore inchoatæ persecutionis, ad multa opera obstrictos voto, alios, vt quotidie vnā faciāt disciplinam, alios vt ad hanc intentionem quotidie recitent vnū Rosariū. Alios quoq; vtter quaque hebdomade ieiunēt & semel disciplinā adiungant. Multos inuenio paratos ad mortem nobiscum perferendā, si Quabacondonus persecutionem prosequatur.

Domina Maria Arimondoni socrus, fæmina valdè illustris, sæpius hyeme superiore post auditum Sacrum Missæ, in summo frigore, densisque niuibus nudis pedibus profecta est ad B. Virginis ædem in Chitaoca, ad quem locum longo itinere à propugnaculo disiūctum, non nisi transmissis varijs riuulis peruenire potuit. Tota verò Quadregesima ieiunauit nulla vnquam facta collatione vel cænula, & ter quaq; hebdomade flagro corpusculum crucifixit.

Non minor Christianorum pietas eluxit in facienda confessione peccatorū. Tantus enim est confitentium numerus, vt si Patres continenter eis aures præbere vellent, tamen eorum desiderio fieri satis non posset; valde enim afficiuntur ad iterandam sæpius confessionem. Si autē cōmoditas esset, audiendi omnes, nō prætermisissijs, qui sunt obligati saltē semel quoq;
ann

anno confiteri, multo frequentiores essent Confessiones, ob singularem eorum ad hoc Sacramentum affectionem. Verum, si habenda ratio eorum est, qui saltē semel in anno tenentur confiteri, frequentationem illam omittere necesse est, maximē cū infirmi, à quibus vocamur, negligēdi non sint. Vnde Pater quidā, vnus ex ijs, qui dant operam linguæ, alteri P. in subsidium missus per Quadragesimā, post reditū scripsit hæc verba. Tot fuerūt Confessiones hac Quadragesima à me auditæ, vt licet quotidie octo vel nouē horas, in hoc labore ponerē, nunquā tamē potui omnibus satisfacere, qui aduenerāt. Ex ijs autem, qui mihi vni audiendi supererāt, & audire ob distātiā locorū, & temporis angustias nō poterā, fuere quadringēti. Id verò imprimis admiratione dignū est, videre tātā puritatē animorū in ijs, qui ad mensam cælestē accedūt, quod etiā si non faciant nisi bis vel ter in āno, tamē vix vnus è ducētis inuenitur, qui peccato carnis se cōtaminet; & ipsi cū quodā horrore aiunt, esse intolerabile, eos qui diuino hoc epulo vtuntur, inquinare se eiusmodi peccatis. Rursum alius P. Arima sic scribit. Patres duo, qui hic versamur in Ecclesia Arimēsi, & opidis vicinis ab octobri mēse vsq; ad Iuliū plusquam 5000. hominum confessiones audiuius; & octingētis eoq; pluribus sacrā Eucharistiā porreximus. Et licet eā plures expetuerint, nō tamen solemus his nouis Christianis statim aditū ad rem tam diuinam patefacere, nisi prius rectē instituti

instituti sint, & probè intelligant huius Sacramenti excellentiam.

Alius P. ita scribit. Ab exacto Octobri, vsq; ad presentè diè 16. Iulij, si ratio numeri habeatur, errata sua apud me plus minus quatuor milia hominū expiarūt: tantoq; ardore ad ea confitēda ferūtur, vt ex ijs, qui ex longinquis regionibus veniūt, vno die aliquādo simul quadraginta audiendi fuerint. Ad infirmos æquè accersimur, ac si non exularemus. Publicè quoque diuerberationes, aliasque pænitentias more consueto faciunt.

Alius trium mensium spacio circum Nangasachum in opidulis & villis, bis mille eoque plures Confessiones excepit.

In ditione Omurana, P. quidā à Septuagesima, vsq; ad festum Apostolorum Petri & Pauli, plusquam tribus millibus aures præbuit. Ac denique omnes alij Patres, qui degunt in his Residētis, biēnio hoc, maximo peccatorū numero, beneficium absolutionis impenderunt.

Iam non inferior fructus constitit in hominum conuersione. Nam vt suprā dictum est, his duobus annis amplius duodecim gentilium milia Christianis aquis lustrata sunt. In ditione siquidem Arimana, quam recenter Dominus Protasius recuperauit, ter mille homines, qui supererant ouili pastoris Christi se aggregarunt. In Omurana vero prouincia in opidis, terræ Firandensī finitimis, annumeratis ijs, qui recenter sedem ibi suam fixerant, baptisimi

baptisimi

baptismi sacramento muniti sunt bis mille. Nangafachi, plures mille. Bungi mille quingēti, & suprà. In Concuscia, quæ est vna ex insulis Amacusæ, ex ante quatuor annos primū fidei lucem aspexit, ex reliquijs gentis, octingenti se sacris aquis abluerunt; In prouincia Meacensi à Patre Organtino, eiusque socio plures trecentis ad Christum adducti sunt. In varijs itē missionibus amplius quam mille. Vt omittam minorē numerum in alijs partibus baptizatorum lam si vellemus describere conuersiones particulares nunquam finem faceremus, tantum attingam pauculas. Prima, vti dictum est, contigit Bungi, quando occasione illarum Apparitionū multi mortales veritatem agnouerunt. In oratione Omuranæ circum: Firādum erant loca quædam ob inopiā operariorum, valde inculta; nam vnicus Pater ibi degens, supra tria milia hominum curæ suæ commissa habet, eorumque Confessiones excipit. Quare & multi ibi erant Ethnici, qui nihil cognouerant de nobis. Bonziji interim laborabāt, non solum vt illis concionarētur, verum etiam vt Christianos, parum adhuc rerum diuinarū gnaros peruerterent. Hoc resciscens Pater eis curandis destinatus, rogauit Dominum Sancium, vt nominaret duos, qui suo loco remedium aliquod huic malo afferrent; nominauitq; duos pios Christianos, eis commendans, vt sibi catalogū conscriberent omnium gentillum, atque etiā Christianorum in fide nutantium vel languescentium,

tium, ut auxilio eis esse posset. Postea D. Sancius
iturus Meacum, isthac transiit, intelligensque
esse ibi concionatorem sectæ dictæ Icolcius,
statim curavit eum è medio tolli, dicens Offi-
cialibus suis, se nullum in sua ditione habere
velle gentilem, seque graviter castigaturum,
qui à suscepta semel fide Christiana recessissent
Quæ verba tantum pondus habuerunt in eorū
animis, ut omnes qui se culpæ alicuius reos
agnoscerent, aut adhuc gentiles essent, suppli-
ces venerint ad Patrem, & dictos Officialēs, ro-
gatum, ut locus esset misericordiæ. Ducensque
secum Patrem, prædicationis causa, centum
supra mille, nullo Ethnico amplius superstite
prioris vitæ seclera divinis aquis demerserunt.
Christiani quoque lapsi, surrexere, & iniuncta
debita pœnitentia à Patre, Deo & Ecclesiæ sunt
reconciliati.

Idem D. Sancius ad petitionem P. Rectoris
Omurani, præstitit rem admodum salutarem
& fructuosam toti Christianitati suæ ditionis.
Nempe certas leges, & quasi capita edidit ab
omnibus subditis observanda, mandavitque of-
ficialibus, ut magno studio illa exequerentur;
Sebastiano autem fratri suo potestatem dedit,
iudicandi de omnibus erratis, quæ cōtra dicta
capita à subditis committerentur; quæ fere
omnia pertinent ad observationem divinæ le-
gis, & Ecclesiæ sanctæ patrocinii. Et certè fæli-
citer omnia, sub Sebastiano, qui totus à Patri-
bus pendeat, successere, usque dum in bellum
I
Coræ

Corai cum alijs profectus est. Erant enim multæ turbationes eius studio confopitæ, concubinarij plurimi, legitimi Matrimonij vinculo devincti, & desertores suis coniugibus restituti, & alia id genus.

Non parum quoque rem Christianam promovit Confraternitas in propugnaculo Omurano instituta, in quam se aggregarunt tria sodalium milia. Habet illa leges quasdam admodum salutare & vriles. Conveniunt quolibet die Dominico, nunc in ædibus nostris, nunc in alijs locis commodis, & de rebus pijs religiose tractant & colloquuntur. Magnus ex ea re consecutus est fructus. Et si vellemus speciatim referre, quot bona opera facta sint, quotque malis præsens remedium allatum huius cætus beneficio, æquò longius epistola excurret.

In ipsa Omura contigit, famulum quendam nostræ Domus ministerijs adscriptum, & postea ob delicta quædam dimissum, instigatione dæmonis in deliberatione venire de iniiciendo igni in ædes, in quibus Patres causa Quabandonianæ persecutionis latitabant: ac tandem nemine animadvertente, iniecit. Nec antè ignis à nostris conspectus est, quam tantas accepisset vires, vt extingui amplius non poterit itaque breuissimo tempore omnia ædificia nostra, quamuis multa & bona, cum omnibus rebus nostris, quæ in ijs erant, prorsus conflagrarunt. Et Patres non habuerunt locum, quo se re-

se recipere. Qui casus Dominum Sancium, eiusque consanguineos vehementer affixit, maxime quod tunc cognoscere non potuerit, unde ignis ille exortus sit.

Peruersus vero adolescens, non contentus hoc facinore, tentauit & alias domos cum templo, propugnaculo vicinas incendere; sed hic patefacta est eius machinatio (fuit enim à quibusdam Christianis in itu & reditu post ignem iniectum conspectus) flammaque, antequam nocere posset, à quibusdam repressa. Dominus autem Sancius incendarium mox apprehendi mandauit; sed cum ille fugam capesseret, in tumultu illo hominum eum sequentium, miserè fuit globis ferreis traiectus, & mactatus. Dominus Sancius, eiusque consanguinei condolentes Patribus, etsi valde distinerentur operibus à Quabacondono imperatis, tamen uoluerunt nobis ædes nostras reedificari. In qua re cum operam suam omnes Christiani magno ardore præstarent intra dies quadraginta omnes sunt absolutæ, & quidem prioribus maiores & meliores.

Cum Pater Visitator in profectioe Meacensi iter haberet per ditionem Isafai, & Riofogi, sua præsentia sermonibusque homines illos valdè commouit. Vnde cū postea ablegatus esset quidam P. eò, trecenti quinquaginta Christianis mysterijs initati fuere: inter quos erant totius populi viri principes; cæteri uero omnes ad idem institutū valdè affecti, relictī sunt,

& nisi minis Quabacondoni & Iacui deterrerentur, iam Christo cum Domino suo colla subiecissent.

In ditione quoq; Finseisu, quæ est Riofogi, multi iam erant ad idẽ comparati exemplo eorum, qui iam baptismum perceperant, si Meaco non fuisset allatum edictum, de tollendis Crucibus: imo ex eadem ditione primarius quidam Tonus aduenit, qui ante suam professionem in Corai, petijt Sacris aquis expiari: venere & alij multi nobiles, qui voti compotes facti sunt.

In loco quodam Gotanæ terræ fuit vir primarius gentilis, qui multum cogitationibus, mentisq; terroribus diuexabatur, & licet magnos sumptus faceret, tamen à Bonzijs & Magis, illis non liberabatur. Hic ut intellexit, Christianos abominari superstitiones, & nihili facere Leges gentilium, cæpit agere cum quibusdam de suscipiẽda fide Christiana, & licet Dominus eius, propositõ illius obfisteret, tamen inuenit modum impetrandi Licentiam. Venit eò Pater cum fratre concionatore; doctrina Christiana tradita est, sacris laticibus capita submisere 82. homines illius loci, in quo ante erant tantum duo Christiani, anus, nempe cū vno puerulo, qui omnes instituebat in orando. Anus autem illa, ut primum Patrem conspexit, ad pedes eius se abiicit cum tanto solatio, ac si vidisset angelum de celo, & facta cõfessione, magna voluptate affecta est, quod omnes eiusdẽ loci homines

nes

nes videret ad Christi gregem adiunctos.

In alio loco, puer quidam gentilis, dum cum alijs pueris Christianis, perdiscendæ artis scribendi & legendi causa, ad templum, in quo erat Pater accedit, ita ad Christianã religionem affici cæpit, vt domum regressus à suis parentibus peteret, vt liceret sibi esse Christiano: quod nõ solũ impetrauit, sed baptizatus, autor fuit vtrique parenti, vt idẽ facerent. Quorum, partim exemplo, partim colloquio, permoti duo, consanguineus alter, alter vicinus, tandem triginta eoq̃ue plures illius pueri beneficio, desertis idolis ad verum Deum baptismo suscepto conuersi sunt.

Alius flagrans cupiditate audiendi doctrinam Christi, sed reformidans suum Tonum, quasi laruatus, ne deprehederetur, se in cætum auditorum ingerebat, tantumq̃ue breui profecit, vt non solum piaculari lymphâ perfusus sit, sed etiam Patrem à re Christiana alioquin valdè alienum in suam sententiã traxerit, deinde etiam matrem, & vxorem, eiusque cognatum, & fratres aliquot, sic vt quindecim, vel viginti, sordes animi purissimis aquis nostris absterferint. Multa alia varij Patres scripsere, quæ nescim longior, præmitto.

De missionibus hoc biennio institutis, breuitatis studio, pauca quædam congerã. In prima, quæ iussu Patris Visitatoris, ab vno P. & fratre facta est ad visitãdos Christianos Aman-guccianos, inuentus est eques Christianus pau-

lò ante persecutionem excitatam baptizatus: qui affirmabat, se à tempore suscepti huius sacramenti nullum Patrem vidisse, lectione tamen libellorum quorundam de doctrina Christiana, alijsque rebus pijs, ita se ad vitam Christianam affectum, vt Patribus paratus sit, nisi obsteret Quabacondonus, attribuere sedem in præcipuo propugnaculo Morindoni. Idem, Meaci effecit, vt alius quidam vir primarius, & diuinis sermonibus aures commodauerit, & veritati, sacris nostris susceptis, locum dederit.

Pater plus minus mensem vnum Amangucij commoratus, confessiones omnium Christianorum, qui eò ex diuersis partibus confluxerunt, audiuit. Magnaque inibi fuisset facta hominum conuersio, si potestas data fuisset, occultè autem quadraginta octo tantum mortalibus beneficium salutaris aquæ præstitum. Sed & alia non parui momenti ibi acciderunt, quæ breuitatis causa omitto.

In altera missione duorum Patrum, duorumque fratrum Iaponensium ab eodè P. Visitatore Bungum directæ, tantus fuit concursus hominum vtriusque sexus, confessionis, visitandorumque Patrum causa aduolantium, vt toto anno, quo ibi diuersati sunt, videretur perpetuum esse Iubilæum; neque dici potest, quantus fructus consecutus sit apud omnes, firmos & infirmos Christianos, etiam apud gentiles ab idolorum cultu, ad veri dei cultum deductos, totque & tam mirabiles casus inciderunt, vt proprijs

proprijs annuis opus habere videantur. Iamq; totum regnum ita affectum est, vt depulsis persecutionis tenebris citra vllam dubitationem lucem Euangelicæ veritatis sit aspecturum.

Tertia missio fuit P. Organtini, & fratris Leonis Iaponij, interim dum Meaci hæserunt. Nã excursionibus suis & solati sunt, & ad constantiam erexerunt animos omnium fidelium, qui varijs in locis illarum partium versantur. Frater autem longius progressus ad regna remotiora, peruenit ad regnum Mino & Ouari, vbi magnæ cõsolationi fuit Christiano gregi, & ducentos gentiles gurgitibus sacris baptismi immerfit: exceptis ijs, quos Pater immerferat Meaci. In regno autem Mino reperit nobile equitem nomine Aloisium Chasuchendonum, (qui fuerat strategus Iusti & perquam familiaris) in fide Christiana valdè constantem. Qui cum vnà cum Iusto exilio multatus esset à Quabacondono, in gratiam à nepote Quabacondoni ob eximiam suam virtutè receptus est. Hic nepos est Dominus bonæ partis regni Mino, & Aloisium, cui attribuit vectigal annuum, in magno precio habet, vna cū coniuge Catharina æque pia & Christiana. Et certe videtur Deus illum in hoc amandasse regnum ad solandos & adiuuandos Christianos, qui tum ob omnium rerum inopiam, tum ob Patrum absentiam, erant in magna desolatione. Nam hactenustum eius exemplo, tum auxilio sæpissimè supra modum sunt refocillati; maximè

autem Catharinæ vxoris, quæ vt minus occupa-
 ta, crebrius ad se pauperes euocat, stipem cō-
 fert, animat debiles, solatur affictos, quaq; do-
 minica multis egenis prandium subministrat,
 alijsq; operibus pijs cum magna ædificatione
 subuenit.

In eodem regno Mino est quidā Eques, no-
 mine Siluester Soranotuche, de cuius conuer-
 sione & seruore aliàs scriptum est. Hic etiā
 Quabacondono exulare iussus est, propterea
 quod filio Nabunāgæ Gonsongio operam de-
 didisset (qui & ipse ob discordias multas cum eo
 habitas exul erat) tamen non omnino è gratia
 Quabacondoni, qui subinde eius mentionem
 faciebat, exciderat. Itaque ab amicis ei consul-
 tum est, vt data occasione, Meacū veniret, & se
 illi conspiciendum præberet. Venit autem, per
 id tempus quo P. Visitator eò aduenerat; cum-
 que Quabacondonus iter haberet in Ouari, il-
 le instar exsulis obsoletā & lacera veste ami-
 cus, in loco quodam eminentiore se colloca-
 uit, vnde videri posset. Quabacondonus locum
 transiens mox hominem agnouit, ad se voca-
 uit, allocutus est amicè, dicens se condolere
 eius inopiæ, mandauitque vt daretur ei equus,
 se velle eum habere in aula sua, comitaretur in,
 Ouari vbi constituit, vt ei adsignarentur bis
 mille falces orizæ, quæ res magnam lætitiā
 attulit omnibus. Nangalachum deinde veniens
 cum Quabacondono cum Patribus conuersa-
 tus est dies octo, dixitque, se cogitare de exci-
 tando

ando templo in loco, quem Quabacondonus
ei assignarat, vti fecerat in Mino, vbi aliás vixe-
rat. Qua occasione Christiani in dicto loco ce-
perunt respirare, & animos surrigere. Nam an-
te aduentum Syluestri subiecti erant cuidam
Domino gentili, qui Ecclesiam nostram con-
uerterat in sanum idololatri cum & Christia-
nos grauitè affligebat: & porrò grauiora passi
fuissent, nisi virtute Constantini, de quo in alijs
annulis scripsimus, seruitute liberati fuissent.
Verum omnes egregiè animati ab hoc bono se-
ne, qui eos conuertit, & baptizauit, incursum pie-
tatis perseuerabant, & cum patientia magna,
certaque fiducia diuinum auxilium de cælo
præstolabantur. Ac Dominus noster, qui erga
hos novos Christianos singularem suam de-
monstrat prouidentiam, totos solatus est cum
hoc nouo Quabacondono, qui (vt ante dictum
est) nomen Domini totius Iaponiæ obtinet.
Nam cum superioribus diebus in regnū Ouari
concederet, secum duxit quendam equitem
Christianum, dictum Scioicosmo, antiqua vir-
tute virum, & alium item Christianum, nomi-
ne Ichendatancondono, qui apertè huic Do-
mino confessi sunt, se esse, & mori velle Chri-
stianos: & quoniam Quabacondonus è Iapone
profligaret Patres, forte ipsum grauatè ferre,
quod in aula sua versarentur, & si ita sit, petere
se potestatem aula excedēdi. Sed respondit di-
ctus Dominus, se non impedire, vt Christiano
more viuant, nec opus esse, vt ea de causa aula
excedant.

¶

excedant.

excedant. Et Ichendatangondono, quia erat vir præstanti virtute, addixit octo millia fascium orizæ, alteri vero dedit sexcétos, cuius colloquio plurimum delectabatur ob canitiem hominis, & singularem prudentiam. Cum auté vellet augeri eius redditus, Deus inspiravit, ut ei assignaretur ille ipse locus, dictus Fanamaca, in quo viuebat Constantinus cū supra dictis Christianis. Atq; ita liberati sunt à iugo illius gentilis pænè intolerabili, & Dominū accepere tanta virtute præditum, qui potius Patrisquam Domini nomen vsurpabit. Hac re incrediblliter recreati & consolati pauperes illi Christiani, actis deo gratijs, subito idola sua igni absumpsere & Ecclesiam restaurarunt. Et quia hic Eques est familiaris novi Quabacondoni Domini Japoniæ, speramus suo tempore hinc magna præsidia.

Sunt & aliæ missiones minores institutz, ut fuit illa fratris cuiusdã ablegati in Cicungo, vbi intra paucos dies centū circiter & quinquaginta capita piacularibus aquis tinxit. Verū quia annuæ istæ nimium excrescunt, omisis missionibus veniam ad Seminarium, ut V. Paternitas intelligat, quid ex institutione alumnorum sit expectandum. Certè magnam omnes de se futura frugis spem promittunt. Nam, (ut taceam ea quæ aliàs de ijs conscripta sunt) hoc biennio, qui literis operam dant, magnos progressus habuere in perdiscenda lingua latina, & summo prerè affici ceperunt erga illam, sicut nonnulli,

nulli, iuxta cuiusque inclinationem etiam ad alia exercitia, vt pingendi, laminas æreas secandi, & incidendi ad exprimendas imagines, quas artes & facile assequuntur, & subtiliter imitantur, vt minimè dubitemus, V. Paternitatem plurimum recreandam, si aliquot eorum opera viderit. Mira quoque facilitate condiscunt digitis pulsare omnis generis instrumenta Musica. Nam post reditum quatuor Dominorum Iaponensium, qui nunc de Societate nostra sunt, breui tempore artem omnem tam perfectè assecuti sunt, vt harmoniam eandè efficerent, quam illi ipsi, qui in Europa multo studio didicerant. Nihilominus vt illis nostra Musica, quia assuefactas habent aures ad propriam, videtur dissona; ita nobis illorum. Et in primis magis afficiuntur ad sambucam & similia instrumenta, approbantque vsum organorum in diuinis officijs. Ferijs natalitijs, cum Rector Seminarij pro consolatione alumnorum, & latinæ lingvæ exercendæ causa ordinasset, vt actione aliqua Natalitia Christi, mixtis Iaponico idioma intermedijs præsentarèt, id tanta dexterritate & grauitate perfecerunt, vt multis excusserint lacrymas. Et qui in Europa istiusmodi viderant, confessi sunt, hos iuuenes Europæis minimè fuisse in agendo inferiores. Iaponijs res ita placuit, vt viderentur sibi esse in altera vita. Vnde apparet, quanta sit expectatio de ijs, qui aluntur in Seminarijs, quorù numerus

cum

cum potuerit augeri, (vti iam ordinatum est) suppeditabit copia operariorum, parochorū & sacerdotum pro Iaponicis Ecclesijs. Vnde non dubitamus suæ sanctitati magnum afferri solatium, quādo videt, quam vtiliter collocatæ sint summæ illæ impensæ in hæc seminaria tam remota factæ, vt quæ cedant in salutem totius Christianitatis istius, & in maximam nouellorum fidelium ædificationem.

Iam verò post aliquātam Persecutionis quietem & tranquillitatem, de qua hæctenus egimus, ecce noua ex improviso in his partibus Scimanis oboritur tempestas, eaq; priore maior & periculosior. Nam Quabacondonus victorijs Iaponicis elatus, non satis habuit, ex infimo vitæ statu, ad Summum dignitatis conscendisse fastigium, sed etiam, instar Nabuchodonosoris, diuersas literas dedit ad Reges & Principes vicinos, cum mandatis minarū plenis, vt se pro Domino agnoscant; ni fecerint, se funditus eos deleturum. Ex hac inaudita arrogantia, & immanitate tyrannica, tum alia mala, tum hoc consecutum est. Portus Nangaschanus inde ab anno vno gubernatus erat à Christianis, populi totius capitibus; his occasione quadam Quabacondonus substituit duos gubernatores Ethnicos, quorum alter, vt capitali odio insectabatur Christianos, ita Quabacondonum suis calumnijs impulit, vt manderet per ipsum & alios euerti Ecclesiā, & domos nostras, materiamq; omnem transportari Nangoiam,

goiam. Hoc mandatum datum à Quabacondo-
no vbi cognouimus ex Dominorum Christia-
norum literis, in magna cum omnibus Christi-
anis anxietate & afflictione fuimus, propterea
quod nullū remediū, nullū locū appellationi
relictū videremus Et quāuis quatuor Lusitani,
re intellecta, nomine reliquorū omniū, matu-
rarent, iter ad Quabacondonū, tamē in exitu è
portu deprehēderunt, iam Ferasauandum no-
uum gubernatorem gētilem cum alijs 150. ho-
minibus à Quabacondono missis aduentare,
qui paucis diebus, nullo loco precibus relicto,
omnia nostra penitus euerterunt. Patres, cum
magno omnium Christianorum luctu, recepe-
runt se in certas ædes Misericordiæ, quas in di-
cto loco Christiani ante paucos annos excita-
rant. Quamuis autem Lusitani omnem moue-
rint lapidem apud Gubernatorem, vt executio
prorogaretur, donec conuenissent Quabacon-
donum, nihil tamē impetrare potuerunt. Hac
nova oppressione, etsi omnes in magnum mæ-
rorem & timorē coniecti essemus, tamē non di-
stituit seruos suos Deus varijs cōsolationibus.

Prima consolatio fuit, quod Quabacondo-
nus ob ægritudinē Matris Nangoia rediret Me-
acū; cuius abitu non nullū Christianis accessit
refrigerium. Nam quādiu ille erat præsens, Pa-
tres cum omnibus Christianis in magno versa-
bantur periculo. Eo enim ingenio est, vt cui
semel malè vult, ei quotidie reddatur infestior
æques est, qui vel rationibus aures accommo-
det,

det, vel contradicentem toleret. In profectio-
ne autem Meacensi quaedam ei infausta euene-
runt, quibus Deus (vt opimo est Christiano-
rum) castigasse eum videtur, ob mala in fan-
ctam Ecclesiam commissa. Quo enim die sen-
tentiam tulit, de euertendis ædibus nostris, Ec-
clesia que Nangafachēsi, mater eius Meaci, non
conspicito prius filio, extincta est. Qui casus
magnum ei dolorē incussit. Alter casus infaus-
tus fuit, quod Nauis, qua uehebatur impegerit
in scopulos, ipseque facto naufragio nudus in
eisdem scopulos, saluus vix euaserit. Nauar-
chus discisso ventre se ipse interemit: Quaba-
condono alijs nauibus succursus. Gētiles, vt
admodum sunt superstitionibus dediti, ca-
sum hunc habuerunt pro malo augurio, quod
non parum eum affixit & conturbauit. Terti-
us casus fuit, quod multa mala noua nunciarē-
tur ex regno Corai; vt quod Coraiani resum-
ptis animis præualuerint contra Iaponios im-
missa; in eos ingenti classe trecentas naues cæ-
perint, vectores mactarint, & mox octo pro-
pugnacula, quæ cuidam Quabacondoni nepotē
erant commissa, multis eorum contrucidatis,
recuperarint. Ad hæc quod Iaponij magna
laborēt penuria commeatus, varijs morbis af-
figantur & extinguantur, multi fuga elapsi Ia-
ponem repetant, omnes verò desperent de fe-
lici exitu huius belli. Quæ noua magno pudore
& dolore Quabacondonum affecerunt. Quar-
tus fuit, quod nepotem suū, quem renuntiarat
succello-

successorē Imperij, inuenit à se abalienatū, vti & ipse abalienatus erat ab illo, propterea, quod dū ipse, id est, antiquus Quabacōdonus in profectione Meacensi, Ozacæ, donec matri Meaci parentatum esset, subsisteret, nouus Quabacōdonus salutandi causa Ozacam, alioquin vicinam non occurrit; quod toti Iaponiæ mirum visum est, nec dubitauit magnæ discordiæ fore seminarium. Quintus casus Quabacōdoni peregrinus & valde acerbus fuit, quod celeberrima Cāpua delubri Midorani (quod quatuor leucis Meaco abest) quæ maximum semper ediderat sonum, ab aliquot diebus, quantumcumque fortiter pulsaretur, nullum sonitum reddidisset; resque fuit certissima. Nam totus fere populus Meacensis re cognita, eò excucurrit. Aiunt, alias idem accidisse, & esse præfagium magnæ vicissitudinis secuturæ, ac propter infaustum belli Coraiani exitum, omnes certò augurantur, imperium Quabacōdoni breui collapsurū: & certè apparet ad castigandum illum, Deum voluisse illum occæcari, vt præcipuos quosque viros totius regionis amandaret in bellum Coraianum, atque ipse domi omni neruo belli destitutus remaneret. Quare magna spes affulget Primarios omnes Dominos, non quæsitæ eius facultate, postliminio in status suos redituros, & publicos eius inimicos futuros, nec quieturos, donec omnia quæ hæctenus alta mente reposita reuere, perficiant.

Altera

Altera Consolatio, quam Deus nobis in hac calamitate impertuit, hæc fuit, quod, quo tempore domus nostræ æquata sunt solo, præcipue Iaponiæ Principes à patria longe absunt, omnes Christiani maiori quam unquam beneuolentia & amore nos sunt persecuti inuisendo nos, & dicendo, etiamsi sublata sit ipsius Ecclesia, non tamen sublata est cordibus ipsorum fides; se iam probè intelligere, Quabacondoni imperium minari ruinam, postquam bellum inferre ausus est sanctissimæ Dominiæ nostræ Virgini Mariæ, cuius Assumptioni Ecclesia erat dedicata. Accedit & illud notatione dignum, quod multi Domini, qui post discessum Quabacondoni Nangoiæ remanserant, videntes se iam esse paulò liberiores, desiderio quoque spectandæ Navis Lusitanæ allecti, appulerint Nangasachum eo temporis puncto, quo templum nostrum deiiciebatur, omnesque nobis condolebant, affirmantes magnam iniuriam nos affici. Fuit inter eos Findanus Camedonus Nabunangæ gener, qui paulò ante obortam persecutionem Christi legibus subscripserat, & nunc vnus est è potētissimis Iaponiæ principibus. Bis venit salutatum Patrem Visitatorem, ceterosque Patres, cum summa amoris & reuerentiæ significatione, & qualibet vice duas horas eoque amplius nobiscum mansit. Eadem amoris & humanitatis argumenta ostendit erga Navis Prefectum, & reliquos Lusitanos. Vastatione autem Ecclesiæ Christianæ tantum abest

abest vt fuerit animo perturbatus, vt etiã omnibus aulicis suis licet Ethnicis, in domũ suam collectis, palãm confessus sit se esse Christianũ, & quanquam per iniquitatem temporum non posset reipsa declarare, quod pectori insedisset se tamen in ditione sua velle magnam instituire hominum conuersionem Vt autem intelligerent, eum grauibus causis adductum, vt nomen Christo daret; cæpit commemorare omnia quæ in expositione Catechismi audijset, probans idola Chamis & Fotoques nihil esse, non posse esse Deum nisi vnum: animam nostram esse immortalem; & id genus alia, quibus auditis omnes sunt admirati. Id nobis relatum est à primario quodã eius Aulico optimo Christiano. Idem Dominus magna amicitia coniunctus est Iusto Vcondono, qui Nangoia scripsit, quantopere commotus, & contentus Nangafacho excesserit, se paulatim de nostris rebus tractaturum.

Alius Dominus gentilis magni nominis & auctoritatis apud Iaponios, nempe absolutus regni Ingani Dominus tempore eiusdem vastationis, Nangafachum ingressus, magno desiderio ardebat cognoscẽdi res Fidei nostræ, tum quod Nangoiæ multa de ea inaudisset, tum quod admiratus esset vitam cuiusdam Christiani, nomine Manzij Sangondoni, cum quo vixerat, eo tempore quo exulabat Sanga. Huius pia voluntas, conspecta euersione rerum nostrarum non solum non elanguit, verum etiam, cum

K

nullam

nullam haberet nostrorum noticiam, palam per certos homines indicavit, se vehementer capere aliquid cognoscere de religionis Christianae mysterijs. Primum dubitauimus, num sincere, vel simulate nuncios submisisset, experiundi causa an contra mandatum Quabacondoni auderemus verbum Dei praedicare. Itaque ei responsum est, Patres (vti ipse nosset, & cerneret) versari in exilio, Ecclesias a Quabacondono euersti, non esse iam tempus idoneum, quo tantus Princeps auditis sermonibus, se exponat praesenti periculo: nec posse tam secretò fieri, quin emanet mox foras. Ad haec Dominus ille: Quantum, inquit, attinet ad Quabacondonum, vacuus sum omni metu, cuique homini incumbit, indagare optimas rationes & modos perueniendi ad salutem; quare prorsus volo vestris sermonibus auros praebere. P. Visitator, post plures tergiuersiones, videns abesse fraudem, misit ad eum fratrem Vincentium Iaponium, qui oratione sua ei breui persuasit, vt vellet esse Christianus, mox & vehementer urgere cepit sacrum lauacrum, nec cessauit, donec obtinuisset. Nos certè ex tanti Domini, tantaq; bonitate naturae praediti conuersione tali tempore facta, non potuimus non maximam percipere voluptatem. Summam doctrinae Christianae, omnesq; orationes secum ferre voluit, promisitq; se aliquando curaturum, vt regnum suum vno die Christo eiusque sponsae Ecclesiae vinculo fidei coniungatur. Iustus
Vcon-

Vcondonus cognita eius conuersione, vehementer est admiratus, dicebatque magni faciendam, se non ignorare qualis & quantus ille sit, & subito inuisurum, & amicitiam cum eo initurum. Et fuit eidem D. commendatum, ut inter intimos amicos suos reciperet Iustum, qui ei in multis adiumento esse posset. Aiebat praeterea ille, nulla alia ex re maius diuinæ virtutis argumentum se collegisse, quam, quod quod amplius exagitatissimum à Quabacodono, hoc magis in gentilium æquè, ac Christianorum pectoribus existimatio & dignitas Christianæ professionis creuerit.

Hoc ipso tempore Iustus iam dictus, aduenit Nangachū, ubi Naui præfectus ceterique Lusitani oēs magna celebritate illum exceperunt, & Quabacodonus antequam abiret Meacū, non paruo honore, alijsque humanitatis officijs eum persecutus est. Nam sæpe, post reconciliationem, cum eo diuersis de rebus consilia inibat. unde coniecturam faciebant oēs, illum breui in aulam recipiendum. Sed Iustus, ut homo prudens, nunquam volebat huius rei mentionem facere, affirmans (ut ipse loquebatur) nec animæ nec corpori profuturum, si modo mutaret Statum. Nam quo ad animam, inquebat, non possem in omnibus rebus Quabacondono sine periculo obsecundare, cum ipse velit omnes suo modo & agere & loqui: Quoad corpus verò si non me geram similiter alijs maiori periculo me exponerem excidendi ex eius gratia. Deinde dicebat, humanitus loquendo, vitam Quabacondoni non

posse esse diturnam. Itaq; his alijsq; rationibus, quas dabat de rebus laponicis, sanctaq; eius cō- uersatione, omnes magnoperere creati sumus.

Tertia consolatio à Deo nobis communica- ta fuit, quod omnes omnino tum Patres, tum reliqui Christiani confidimus persecutionem istam non longius progressuram, idque multis de causis. Prima est, quia cum sit tam infaustus expeditionis Coraianæ successus, omnesq; de- speret vel potius certissimè sciant, Quabacon- donum non posse hoc bellum prosequi, vide- tur præsentissimum illius capiti imminere exi- tium, vel certè tanta rerum omnium in Iapo- nia perturbatio & confusio, vt neque tempus neque locus ei suppetat de nostris rebus agen- di vel cogitãdi. Etenim fama infortunati istius prælij efficiet, vt omni existimatione, qua ha- ctenus sese sustentauit, excidat: deinde neruo belli, hoc est, pristinis suis viribus, admirabili- bus potentia, (omnes enim eius præcipui Præ- fecti, eiusque intimi amici in regnum Coraianum profecti sunt) prorsus destituetur. Dein- de cum Iaponij intenti sint in omnem occasio- nem vindicandi se ab hoc acerbissimo seruitu- tis iugo, non videntur tam idoneam & oppor- tunam rei benegerenda prætermisuri facul- tatem. Accedit, quod Morindonus cæteri que Domini horum nouorum regnorum de Sci- mo, etsi partem populi sui abduxerint in Co- rai, expectantes belli exitum, tamen ditiones suas hominibus, alijsque rebus bene commu-
nitas

nitas & constitutas reliquerunt, atque vti exercitus in Corai dira vexatur fame, neque spes vlla belli producendi affulget; ita minimè probabile est eos diutius ibi cum periculo vitæ permāuros, sed ad suā regna pedem relatuos.

Alterā causa cur res meliore loco deinceps futuræ videantur, est, quod tam præclara munerā Quabacondonus mittat ad Proregem Indiæ, simulque velit obsides in Iapone remanere decem socios Patris Visitatoris. Vnde Gubernator gentilis Nangasachanæ vrbis, ille, qui nostra omnia euertit, intelligens gubernatorē Meacensem nomine Quabacondoni ordinasse, vt tot socij remanerent, iussit per quosdam, P. Visitatorem decætero esse securum: se nulum contra Christianos vel Patres mandatum habuisse, nisi vt domus cum Ecclesia è medio tollerentur, & ne doctrina Christiana amplius diuulgaretur. Itaque posse Patres in alijs ædibus Nangasachi secundum ordinem datum commorari. Cum ergo Quabacondonus expectet responsum ab hac legatione, non videtur amplius noui aliquid contra nos moliturus: idemq; videtur iusto, alijsque Dominis Christianis.

Tertia causa est, quod, etiamsi hæ domus cū Ecclesia Nangasachana essent ornamentum quoddam totius huius Christianismi; tamen grassante persecutione, Christianis, nobisque summa impendebant pericula. Nam cum Quabacondonus hunc portum sibi vsurpet, quo
omnes

omnes mercatores, Ethnicorumque Dominorum Procuratores confluant, non poteramus nos cum Ecclesia, ædibusque tam magnificis permanere citra invidiam eorum, qui nobis malè volunt, ut qui facile hinc arripere occasionem poterant, nos accusandi, & in odium trahendi apud Quabacondonum. Nunc verò, cum vident nullum vestigium Ecclesiae vel ædificiorum nostrorum superesse, omnes misericordia commouentur; putantque nos iam verè esse exules, abiectos & depressos: quare nec occasionem habebant aliquid dicendi nobis, quod iracundiam Quabacondoni in nos concitare valeat. His alijsque de causis profus diuinæ prouidentiae confidimus, speramusque vel finem fore persecutionis, vel Quabacondonum non amplius tot tantaque mala perpetraturum.

Tandem verò harum calamitatum nube depulsa, cum tempus aduenisset è portu nauigandi in Indiam, Pater Visitator prius valedicere voluit Patribus fratribusque Arimensibus & Amacusanis, cæterisque illarum partium Christianis: cumque mandasset ut in certum diem omnes Patres & fratres conuenirent in Seminarjū, ut eorum colloquio per quinque saltem dies frueretur, nobis omnibus ignaris diuino nutu factum est, ut certi Christiani, viri religiosi in regno Bungensi constituerint in has partes de Scimo transferre ossa vel reliquias S. martyris Ioran, qui ante annos quatuor, (vti scriptum est) pro fide Christiana mortem

op-

oppetierat, Bungi. Nam uti pro martyre habebatur ab omnibus fidelibus; ita iudicarunt minime conuenire, ut corpus eius maneret apud Ethnicos, sed potius apud Christianos, & maxime ubi degerent Patres, ne debita ueneratione destitueretur. Quare ex dictis Christianis quidam Eques bene notus impulsus religione, nocte concubia clanculum Sanctas reliquias sepulcro exemit, & postea cum duobus alijs socijs arcæ inclusit, deportauitque ad Seminarium, in quo Rectoris officioungebatur P. Petrus Ramon. Per opportunè autem, & ad maiorem Martyris honorem. Deo ita disponente accidit, ut duobus vel tribus ante aduentum Patris Visitatoris, & sociorum eius, diebus eò peruenerint. Nam Patres gaudentes de tam optato tot honorum conuentu plane constituerunt, omni ueneratione, quantam locus tempusque permittebat, Sanctas reliquias recipere. Et quamuis non uideretur conueniens, ritu solenni, diuina officia peragere (ut fieri solet in honorem aliorum martyrum) eò quòd Vicarij Christi deesset approbatio: tamen quia notum & manifestum fuit eius martyrium, uidebatur cum aliqua lætitiæ & honoris significatione recipiendum. Rex enim ipse, qui eum iussit occidi, confessus est P. Visitatori, se id fecisse, quod nimis ardēs fuerit in munere Euāgelij prædicandi, baptizandi, mortuos sepelendi, alijs pietatis operibus, quæ Patres ei commendarent, exercēdis. Omnibus quoque explorata

K 4

in signis

in signis eius caritas, eximia patientia, animique fortitudo reddita est, cum linea veste indutus & cruce, qua uti consuêrat in suis ministerijs, armatus, morti obuiam processit. Locus denique, in quo erat humatus, non erat ignotus, sicut nec modus, quo inde à Christianis (ut dictum est) erat sublatus & ad Seminarium transfatus. Impositum ergo est corpus honoris causa in arcam perbellam, omnesque Patres & fratres, cum Seminarij alumnis solemnes vespers de S. Cruce, (erat enim pridianus dies Exaltatæ S. Crucis) cecinerunt. Insequenti die post decantatum à P. Visitatore Sacrum Missæ, deportatum est sanctum corpus in processione, tam à nostris, quàm à Seminarij alumnis, qui omnes linea amicti candelam accensam manu gestabant, & psalmos concinebant, & depositum in loco valdè decenti & ornato. Quo honore Christiani omnes, qui inibi aderant, & plurimum consolati sunt, & martyrij desiderio vehementer animati.

Hinc P. Visitator concessit Arimam, ut valediceret filio & vxori D. Protasij, alijsque illius vrbs Equitibus Christianis, itaq; magnus fuit ibi hominum concursus factus, qui inter extremum Vale ita tenerè collacrymarunt, ut Patri & admirationem & consolationem ingentem attulerint. Arima profectus est Amacusam ubi cum Patribus & fratribus, qui ex Religijs Insularum Schichi, Fumoto, Zonzura & Oiano isthuc confluxerant, octo dies diuertat

tus est: cumque illis, aliisque Christianis promississet se brevi rediturum abijt Nagasachum, ubi nunc dicessum nauis Lusitanæ expectat. Id nos in hoc dicessu solatur, quod certò speramus eum brevi nobis iterum affuturum. Promisit enim se hac de causa Macaum non transiturum. Fieri; potest, ut rerum Iaponicarum is sit exitus, ut prima quoque nauis redire ad nos possit.

Sub hoc tēpus Ioachimus Riufa & Benedictus filius eius, nunc gubernator Sachaianus loco Patris ægri constitutus, alijque Christiani partium Meacensium, nobilem quendam & venerabilem virum Christianum amandarunt ad Patrē Visitatore, tum ut eum suo nomine saluaret tum ut exponeret, quantum indolerint ob casum Nangasachensem, atque etiam ut impense peteret P. Organtinum, cum alio P. & taliquot fratribus ad semitti se curaturos, ut immunes sint ab omni periculo. Pater audita petitione, non ignorans, quanti interesset, Patrē Organtinum pro solatio, auxilioque afflictorum Christianorum in illis locis versari, approbante Iusto, consensit; ut idem Pater cum P. Francisco, tribusque Iaponijs fratribus illuc proficeretur, & iam itineri sunt accincti. Speramus hanc missionem, Deo addiuuante, fore non parum salutarem.

Nos verò reliqui omnes inter spem & metum boni vel mali exitus fluctuamus. Nā cum belli Coraiani res non admodum prosperè pcedant, & D. Augustinus, & Dominus Protasius

tasius

tas, alijq; Domini Christiani in intimis regni partibus adhuc degant, haud scimus quid expectare debeamus; an et forte Domini de Scimo propter summam annonæ caritatē, & com meatus inopiam maximam, pedem sint relaturi. Verum cum sciamus omnes Dominos Christianos esse concordēs, eisq; pridem accessisse Cainocamum Dominum regni Bugensis, cum suis & Bungenlibus copijs, vt magna sit omnium potētia, bene speramus, Deo propitio, faustum fore exitū, maximè cum omni victoriæ de capto Corai gloria, in solos Christianos, eorumq; virtutem redundarit; reliqui vero Domini gentiles magnam suarum copiarum iacturam perpessi sint, aliosq; deterrimos successus habuerint. Vnde apparet singularis Dei O. M. prouidētia erga eos, quos pro suis agnoscit. Quod superest, nos ex animo in sancta benedictione V. Paternitati, eiusq;, & omnium carissimorum nostrorum Patrum & fratrum orationibus, sanctisque sacrificijs commendamus.

Nangasachi Calendis

Octobris.

1592.

Souburgerr Paderborna.
FINIS.